



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1773**

**VD18 90118677**

Liber CLXXXIII.


---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ

LIBER CLXXXIII.



CLEMENS VIII. PONTIFEX MAX.  
RUDOLPHUS II. OCCID. IMP.

§. I.

*Cæsar Estensis in Pontificis gratiam  
reversus.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

Ineunte hoc anno fervebat adhuc bellum Pontificem inter & Cæsarem Estensem, quod tamen brevi compositum est; hic enim viribus suis diffusus, cum Principum, populorum, ac militum animos erga se magis remissos cerneret, ab amicis monitus illa ferocia, quam ad terrorem Clementi VIII. incutiendum ab initio prætulerat, tandem deposita ad pacis consilia necessitate coactus animum appulit: id vero ut eo securius obtineret, Aldobrandinum Cardinalem Pontifici percarum, necnon Lucretiam Urbinatis Ducis uxorem, quæ defuncti Alphonsi Ferrariensis soror erat,

*Spond. ann.*  
1597. n. 12.  
*Thuan. l. 119*

R 3

sibi



Sæcul. XVI. sibi devincire satagebat, moxque Fa-  
A C. 1598 ventiam, ubi tum Aldobrandinus age-  
 bat, suos Oratores mittebat, qui suo  
 nomine litem sub honestis conditioni-  
 bus citra sanguinis effusionem componi  
 rogarent, peterentque, ut Pontifex so-  
 lutis, quibus Ducem innodasset, cen-  
 surarum vinculis exercitum suum ab  
 hostili violentia cohiberet, ac demum  
 de concordiaë pactis mutuo agi permit-  
 teret.

## §. II.

*Concordiaë conditiones utrinque imita.*

*Thuan. Eg.  
 Spond. l. c.  
 Struv. Pa-  
 riol. 10.  
 Jell. 7.*

**H**isce Cæsaris precibus prompto ani-  
 mo annuit Clemens VIII. aliunde  
 Princeps pacis studiosissimus, qui nulla  
 mora Aldobrandino plenam indulserat  
 transigendi facultatem: quocirca missis  
 ultro, citroque Delegatis, reque ma-  
 ture agitata die undecima Januarii  
 hunc in modum concordiaë pacta fuere  
 præscripta I. Cæsar cum tota sua fami-  
 lia, omnibusque, qui sub ejus signis  
 militabant, anathematis vinculo solva-  
 tur. II. Cunctis Ferrariensibus omnium  
 præteritorum oblivio indulgeatur. III.  
 Cæsar Ferrariensem urbem, illiusque  
 agrum sacrae Sedi relinquat, nec tamen  
 Aldobrandinus Cardinalis Papæ Lega-  
 tus civitatem ante trigesimam Februa-  
 rii diem ingrediatur, ad hanc vero us-  
 que



que diem omnia vectigalia, pecuniam, Sæcul. XVI.  
gemmas, & documenta publica Cæsar A.C. 1598.  
retineat. IV. Idem quoque cunctas di-

ditiones ad Sedem Apostolicam non atti-  
nentes, nec non bona familiæ, vel ab  
Alphonso profecta ad quadraginta au-  
reorum millia annui redditus sibi servet,  
cum dimidia omnium armorum, belli-  
que tormentorum parte.

V. Ad æs creditum a debitoribus exigendum Cæ-  
sar sibi iudicem eligere poterit: in ce-  
teris vero coram ordinario iudice Fer-  
rariensi litigare adstringatur.

VI. Ex Camera Apostolica quotannis quindecim  
saccorum falis cervini millia sine  
omni tributî onere recipiat. VII. Car-  
pensis territorii paludes ab Ecclesia Bo-  
noniensi possessas, atque tribus aureo-  
rum millibus annui redditus æstimatas  
restituatur.

VIII. Romæ eadem dignita-  
tis prærogativa, quam Alphonfus Dux  
olim habuit, & ipse fruatur, necnon  
Mutinæ, & Rhegii Ducis titulos obti-  
neat, sanctaque Sedes illum suo foveat  
patrocinio, omnesque ipsius ditiones  
contra quemlibet propugnet. IX. Cæ-  
sar omnia sua bona, quæ in Ferrariensi  
Ducatu possidet, aut saltem eo-  
rum partem sanctæ Sedi iusto pretio  
vendere teneatur, de quo tamen inter  
partes utrinque per Delegatos conve-

R 4 niat.



sæcul. XVI. niat. Denique X. Carporum oppidum  
A. C. 1598. ad Episcopalem honorem evehatur.

## §. III.

*Hæc pacta a Pontifice rata habita  
 ejusdemque Diploma hanc in rem  
 editum.*

*Bull. tom. 3.* **H**æc pacta utrinque sancita per Depu-  
*Consl. 52.* tatos quanto cyus Romam ad sum-  
 mum Pontificem deferebantur, qui et-  
 iam coacto Purpuratorum Senatu sin-  
 gula rata habuit, gaudiumque ex hac  
 pace conceptum obortis etiam lacrimis  
 palam testatus est, non tam ob recupe-  
 ratam hanc ditionem, indeque auctam  
 Sedis Apostolicæ potentiam exultans,  
 quam quod *absque ulla sanguinis effusione*  
 belli flammæ in media Italia exortæ  
 tam feliciter extinctæ fuerint, & quidem  
 eo tempore, quo potius Christianorum  
 arma in Turcas, quam in filios conver-  
 tere publica necessitas deposcebat: qua-  
 propter die decima nona Januarii in se-  
 creto Patrum Senatu solemnî ritu hanc  
 ditionem ad Sedem Apostolicam esse  
 devolutam, eique pleno jure adjunctam  
 declarabat, edito hanc in rem diplo-  
 mate sequenti: *Quoniam per obitum Al-*  
*phonsi Estensis Ferrariæ Ducis, Ducatus,*  
*Et Status Ferrariæ, cum omnibus civita-*  
*tibus, terris, castris, fortalitiis, portubus,*  
*locis,*



Seentl. XVI.  
A.C.1598.

locis, membris, jurisdictionibus, juribus, ac aliis annexis, & connexis, de quibus a Sede Apostolica, & suis Prædecessoribus Romanis Pontificibus idem Alphonsus, sive ejus Antecessores investiti fuerunt, seu alias quomodolibet illos, & illa a Sede præfata tenuerunt, & habuerunt, ad eandem Sedem, & Cameram suam Apostolicam, tum ex forma investiturarum, seu aliarum concessionum de eis factarum, tum vigore Constitutionis felicis recordationis Pii Papæ quinti Prædecessoris editæ sub datum quartis Calendis Aprilis anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, Pontificatus sui anno secundo, reversi, & reversa, & devoluti, ac devoluta existunt, & utile eorum dominium cum directo consolidatum est, etiam absque aliqua alia ulteriori acceptione, declaratione, ac possessionis apprehensione, & alias juxta præfatam constitutionem Pii V, ad quam in omnibus & per omnia, & in omnibus ejus partibus relationem haberi voluit, nihilominus pro potiori cautela, & jura juribus addendo, & Constitutioni inherendo, de Venerabilium Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium consilio pariter, & assensu Statum, & Ducatum prædictum cum omnibus civitatibus, terris, castris, fortalitiis, portibus, locis, membris, & aliis annexis, & connexis, per obitum præfati Ducis Alphonsi, seu alias

R 5

ad



Sæcul. XVI. ad eandem sedem devolutum, & devoluta  
 A.C. 1598. & utile illorum dominium cum directo  
 consolidatum esse declaravit, & hujusmodi  
 reversionem, devolutionem, & utilis cum  
 directo dominio consolidationem acceptavit  
 ipsumque Ducatum, & Statum Ferrariae  
 cum omnibus supra dictis, & Sedi Apo-  
 stolicæ, & Camere reversum, unitum, &  
 incorporatum esse, ac censi decrevit, &  
 declaravit omni meliori modo. Et quod  
 tenus opus sit, eundem Ducatum, & sta-  
 tum de novo eidem sedi, & Camere uni-  
 vit, & incorporavit, & dispositioni Con-  
 stitutionis præfatæ Pii V. subjacuisse, &  
 subjacere, similiter decrevit, & declaravit,  
 Deoque Omnipotenti, Beatæ Virgini, ac  
 SS. Apostolis Petro, & Paulo, perpetuo  
 tribuit, & dedicavit. Ut vero de firma  
 ejus voluntate magis adhuc constaret,  
 rursus die undecima Februarii hoc anno  
 sequentem declarationem divulgari præ-  
 cepit: Sanctissimus in Christo Pater, &  
 Dominus Noster D. Clemens divina provi-  
 dentia Papa Octavus Dixit, Ducatum,  
 & Statum Ferrariæ jam fuisse recupera-  
 tum, idque sola Dei Omnipotentis miseri-  
 cordia factum esse, & propterea illi ingra-  
 tes esse gratias agendas, præsertim cum id  
 absque ulla sanguinis effusione contigerit.  
 Et iterato ut magis emixam, & explora-  
 tam ejus voluntatem ostendat, jura juribus  
 addendo, Ducatum & statum præfatum,  
 omnes



omnesque illorum redditus, eidem Sedi, & <sup>Sæcul.XVI.</sup> Camera Apostolica univit, & incorporavit, & dispositioni Constitutionis Pii V. <sup>A. C. 1598.</sup> editæ sub datum quartis Calendis Aprilis, Pontificatus sui anno secundo, subjacuisse, & subjacere similiter decrevit, Deoque Omnipotenti, Beatæque Mariæ Virgini, & SS. Apostolis Petro, & Paulo, quorum ope id factum fuit, perpetuo addixit, & consecravit.

## §. IV.

*Solemnis, festusque Aldobrandini in urbem ingressus.*

Rebus omnibus ita feliciter compositis <sup>Thuan. l. 2.</sup> Aldobrandinus Cardinalis præstituta die Pontificis nomine urbis possessionem adibat, ubi eidem una cum quinque peditum millibus, ac mille Equitibus accedenti Ferrariensis Nobilitas sexto ab urbe lapide obviam procedebat: insuper Episcopus unacum universo Clero, & viginti quatuor primæ Nobilitatis adolescentibus usque ad urbis portam progressus est: adventante autem Cardinale primi in civitatem admittebantur pedites, quibus commodæ assignabantur stationes: postea vero Equitatus in binis amplioribus plateis ante Ecclesiam Cathedralem, arcemque suo ordine disponebantur: porro ubi ipse Aldobrandinus portam præ-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

prætervectus erat, occurrebant ei trecenti pueri, qui festiva voce unacum universo populo: *Vivat Ecclesia! vivat Clemens Pontifex!* conclamantes, suum liberatori vitam longævam precabantur, supplices, ut Judæi utpote Reipublicæ summopere nocivi, quos antea Alphonfus Dux non sine summo civium damno impensius protexerat, quamprimum expellerentur. Hoc comitatus stipatus Papæ Legatus per arcus triumphales progrediens ad Ecclesiam Cathedralē deducebatur, ubi inter musicos concentus, crebrasque populi clamorationes intonato Hymno Ambrosiano solemnes gratiæ Deo rependebantur, priusquam tamen Cardinalis ad aedes sibi destinatas contenderet, Laetiam morbo laborantem, quæ ad hanc concordiam haud parum contulerat, invisere statuit, inde vero rediit, atque ad Palatium suum delatus multa onera antea populo imposita remissa, vel a Cæsare remissa confirmavit: quare tam communis erat omnium lætitia, ut in publici gaudii signum omnibus in tota urbe tormentis explosis artificiosi ignes ubique accenderentur, moxque Magistratus ex cunctis Ordinibus Nobiliores Romam ablegare decerneret, qui etiam eo delati ingenti cum pompa admittebantur, atque a duobus Episcopis ad



ad publicum Papæ, & Cardinalium **Sæcul.XVI.**  
 confessum admissi habita luculenta ora- **A.C.1598.**  
 tione fidelitatis suæ homagium Clemen-  
 ti VIII. Sedique Apostolicæ interposita  
 jurisjurandi religione præstiterunt: vi-  
 cissim autem Pontifex illos muneribus  
 amplissimis cumulosos dimittebat, om-  
 nesque hujus populi immunitates, &  
 privilegia confirmans eis pollicebatur,  
 quod ipsemet brevi urbem sua præsentia  
 honoraturus esset: eodem adhuc mense  
 ad felicitatis cumulum accessit, quod  
 Rudolphus Imperator literis investitu-  
 ræ die decima septima Januarii Pragæ  
 datis, Cæsarem Estensem tanquam Ro-  
 mani Imperii Principem, ac Rhegii,  
 Mutinæ, & Carpi Ducem agnoverit.

§. V.

*Undecim primæ Congregationes in  
 controversia de auxiliis mense Ja-  
 nuario habitæ.*

Cæterum Pontifex iter suum Ferrariam *Hist. Con-*  
 versus differre cogebatur, eo quod *greg. de au-*  
 controversia de gratiæ auxiliis inter *xil. l. 2. c. 2.*  
 Fratres Prædicatores, & Jesuitas agi- *Acta Congr.*  
 tata supremi Judicis præsentiam depof- *Nunn. Coro-*  
 cere videretur; jam enim designati *rone. l. Hist.*  
 Censores Molinæ librum seorsim seria *Controv. l. 3.*  
 mente pervolverant, hinc præprimis  
 de servando secreto fidem suam jureju-  
 rando



Sæcul. XVI. rando obstringere rogati, una omnes  
A. C. 1598. coram Cardinale Madrutio, vel Pompe-  
 jo Arrigonio, qui hujus examinis Præ-  
 sides erant, semel quavis hebdomada  
 convenire jussi sunt, ut communi stu-  
 dio, perpensisque utriusque partis scri-  
 pturis præprimis deliberarent, an Mo-  
 linæ libri sanam, & Catholicam conti-  
 nerent doctrinam, vel utrum potius com-  
 muni censura proscribendi essent: in-  
 junctum tamen, ut figillatim erroneas  
 propositiones ex iis decerpenti, easque  
 censuris speciatim notandi cura ad alium  
 conventus remitteretur: itaque illu-  
 strissimi hi Censores die secunda Januarii  
 hoc anno primum Conventum, seu Con-  
 gregationem habebant, in qua Cardina-  
 lis Madrutius præcipuus Præses expo-  
 suit, eam Clementis VIII. mentem esse,  
 ut semoto omni contentionis, privati-  
 que amoris, vel odii studio adnotarent,  
 quid ipsi in Molinæ concordia fors cen-  
 sura dignum animadverterent. Ad hæc  
 Præsidis verba Censores unanimi suffra-  
 gio respondebant, quod hujus libri do-  
 ctrina eo magis ab omni erroris suspi-  
 cione immunis judicanda foret, quo cer-  
 tius de fine, & scopo auctoris consti-  
 tueretur: quocirca præprimis inquirendum  
 suadebant, quænam ratio Molinam ad-  
 scribendum impulerit; cum enim hi  
 ante Fomsecam, & Molinam communem  
 ubi-



Sæcul. XVI.  
A C. 1598.

ubique circa gratiæ auxilia doctrinam, fidemque in Ecclesia viguisse ponderarent, hinc quæstionem de Molinæ doctrina sat expedite decidendam existimabant, si eam de novitate convincere possent, ad quod nonnulli ex Jesuitis ansam Censoribus dabant, dum palam gloriabantur, quod versatilem proponendo gratiam novum aliquid excogitarint, hæcque *libertatem arbitrii cum divina prædestinatione conciliandi ratio a nemine hucusque tradita fuerit, ac ne ipse quidem Augustinus sub ea quasi caligine ad hoc attenderit.* Igitur cum hæc examinandi ratio a Censoribus proposita Madrutio Cardinali probaretur, hi soluta prima Congregatione desuper deliberabant. Die nona ejusdem mensis Januarii rursus convenerant, secundamque celebrabant Congregationem, in qua de Molinæ scopo, detestinatoque hujus scriptoris consilio mature agentes decidebant, unicum Molinæ consilium fuisse, *novam quamdam contordiam a se primum excogitatam tradere, eo quod nondum explicata penitus, & abunde reddita ratio integra conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, præscientia, & prædestinatione sibi visa fuisset.* Hoc tandem judicium de Molinæ scopo Censores unanimi sententia ferebant; postquam enim eisdem a Pontifice injunctum erat, ut

ut



Sæcul. XVI. ut hujus authoris librum, & Scripta ex  
A.C. 1598. Hispaniis transmissa ultro, citroque ad  
 fanam crisin revocarent, suaque singuli  
 suffragia scripto traderent, hi post repe-  
 titam hujus libri lectionem, atque ex-  
 amenprehenderunt, plura in nova  
 hac concordia contineri, quæ non omni  
 ex parte cum veteri, ac communi Pe-  
 trum doctrina convenirent, imo & hæc  
 ipsa scientia media Divo Augustino, si  
 non prorsus incognita, saltem ab eo  
 usurpata non fuerit, eapropter ipsimet  
 Censores in eadem Congregatione con-  
 cludebant, quod Molina hanc novam  
 concordiam adeo certam habuerit, ut  
 non dubitarit asserere, *quod si ea data  
 explicatione fuisset semper, neque Pelagia-  
 na hæresis fuisset exorta, neque Lutherani  
 tam impudenter arbitrii nostri libertatem  
 negassent, obtendentes, cum gratia, præsti-  
 entia, & prædestinatione coherere non  
 posse, neque ex Augustini opinione, con-  
 certationibusque cum Pelagianis tot fideles  
 fuissent turbati, & ad Pelagianos defectis-  
 sent: facile etiam reliquæ illæ Pelagiano-  
 rum in Gallia fuissent extinctæ.* His ita  
 constitutis secundæ Congregationi finis  
 imponebatur, quam tertia excipiebat  
 die decimo sexto ejusdem mensis cele-  
 brata, in qua in hujus concordie prin-  
 cipia investigatum est, conclusumque,  
 eam hisce quatuor iuncti principiis.

„I. Da.



Sæcul. XVI.  
A. C. 1598.

„I. Datur ratio prædestinationis ex parte boni usus liberi arbitrii; hoc tamen principium, cum periculosum esse in fide cerneret, ipse Molina a se amoliri nitebatur. II. Ut gratia, quam Deus dat ad perseverandum, sit donum perseverantiæ, necessarium est, ut prævideatur homo consensurus, & cum Dei auxiliis cooperaturus, quod in ejus potestate est collocatum. III. Datur præscientia media inter scientiam Dei liberam, & naturalem, qua cognoscit futura conditionata ante decretum, IV. Dupliciter possumus loqui de Prædestinatione, in communi, & in particulari: in communi quidem præter divinam voluntatem nulla datur ratio prædestinationis ex parte prædestinati, in particulari tamen datur bonus usus liberi arbitrii futurus.“ Demum die vigesima tertia Januarii in quarta Congregatione de variis Molinæ propositionibus actum est, ac præprimis hæc proponebatur quæstio: *an concursus Dei generalis influat in causas secundas, vel potius cum causis secundis? & quænam sit Molinæ de hac re sententia?* postquam ergo ex pluribus Molinæ locis ostensum erat, quod ex ipsius sententia Deus cum causis in effectus influat, non autem in causas, duæ ejusdem Auctoris propositiones censuris notabantur, qua-

*Hist. Eccles. Tom. LII.* S rum



Sæcul. XVI. rum prima erat hæc: *Generalis Dei con-*  
A. C. 1598. *curfus non est Dei influxus in causam se-*  
*cundam, quasi prius illa mota agat, &*  
*producat suum effectum. II. Deus per*  
*concursum generalem cum causis secundis*  
*efficit unam integram causam coalescentem*  
*ex duabus partialibus, quæ simul produciunt*  
*effectum. Denique communi (excepto*  
*Bovio) Censuræ judicio definitum,*  
*hanc Ludovici Molinæ opinionem non esse*  
*amplectendam. Die trigesima ejusdem*  
*mensis quinta habebatur congregatio,*  
*in qua hæc agitabatur quæstio, utrum*  
*opinio Molinæ de modo Divinitatis influenti*  
*per concursum Dei generalem in actus liberi*  
*arbitrii sit aliqua censura digna? hanc in*  
*rem ea Molinæ loca proponebantur, in*  
*quibus non modo non necessariam, sed*  
*libertati nocivam asserit præmotionem,*  
*ut liberum arbitrium bene moraliter*  
*operetur, aut se ad gratiam disponat:*  
*de his vero locis Censores pronuntia-*  
*bant, hanc Molinæ doctrinam longe a ve-*  
*ritate aberrare. Tum de actibus ad*  
*adulti justificationem necessariis actum,*  
*quos hominem per liberum arbitrium*  
*cum solo concursu generali elicere posse*  
*asseruit Molina quoad eorum substan-*  
*tiam, licet non quoad modum, quo*  
*ad justificationem sunt necessarii. Ve-*  
*rum de hac Molinæ doctrina Censores*  
*affirmabant, quod Catholicæ veritati pa-*  
*rum*



rum sit consentanea, & cum Pelagii errore, qui liberum arbitrium ponebat esse causam assensus fidei, maxime conveniat. Tandem proferebantur ea loca, in quibus Molina habitum fidei supernaturalem non esse necessarium propugnabat ad superandam intellectus duritiem: circa hanc vero opinionem contendebant Censores, *universam hanc doctrinam esse rejiciendam.*

Sæcul.XVI.  
A.C.1598.

Ineunte mense Februario die sexta rursus convenere Censores, ac sexta habita Congregatione examinarunt, quid Molina sentiat de actu diligendi Deum, & poenitendi: cum autem hic variis in locis affirmare deprehenderetur, quod homo naturæ viribus Deum quoad substantiam actus super omnia diligere valeat, hinc ita sancitum est: *censemus præfatas propositiones, quibus Molina sustinet, hominem viribus naturæ posse diligere Deum super omnia, quoad substantiam actus, esse Pelagianas, vel de Pelagianorum reliquiis, & idcirco retinentes sanctissimas Conciliorum definitiones, & Patrum sententias, ac doctrinam religiose venerantes, illas omnino improbandas & rejiciendas esse existimamus.*

Postea Censores transferunt ad illa loca, quæ agunt de viribus liberi arbitrii ad eliciendum dolorem de peccatis



Sæcul. XVI. cum proposito non peccandi, discussio-  
A.C. 1598. que hoc principio: facienti, quod est in  
 se &c. pronuntiarunt, quod *Molinæ* sen-  
 tentia hac de re non parum a communi, &  
 catholica doctrina discedat. Tum expen-  
 sa ejusdem doctrina de tentationum vi-  
 ctoria ex solis viribus naturæ, ita sanxe-  
 runt: *Molinæ* sententia, qua sustinet, posse  
 hominem per vires suæ naturæ cum solo au-  
 xilio generali resistere gravibus tentationibus  
 &c. non solum est contra communem Theo-  
 logorum Scholam, verum etiam adversatur  
 Patrum vetustissimorum doctrinæ, Concilio-  
 rum, ac summorum Pontificum decretis, &  
 apertis sacræ Scripturæ testimoniis. In  
 hoc ergo Conventu decem *Molinæ* pro-  
 positiones notabantur: die autem deci-  
 ma tertia ejusdem mensis in Congre-  
 gatione septima examinabatur *Molinæ*  
 doctrina de viribus liberi arbitrii cum  
 solo concursu generali ad actus superna-  
 turales fidei, spei, & charitatis, ubi  
 expensis quatuor ejusdem Theologi pro-  
 positionibus hæc censura ferebatur:  
*Molina*, cum asserit, posse hominem cum  
 solo concursu generali per habitus infusos  
 fidei, spei, & charitatis producere actus su-  
 pernaturales, quoties voluerit, adversatur  
 Theologorum Scholæ, Patrum doctrinæ, &  
 Conciliorum decretis, atque summorum Pon-  
 tificum definitionibus.

Postea



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

Postea die vigesima Februarii habita est octava Congregatio, in qua Molinæ dogma de dono perseverantiæ discutiebatur, cumque hic privatam suam opinionem pro communi Doctorum sententia venditasset, hinc Censores pronuntiabant, quod *Molina in hoc capite se in Doctores injurium præbeat*. Inde Censores progressi sunt ad celebrem Molinæ sententiam, qua asseruit, quod *cum auxilio, quocum unus usque ad finem perseverat, possit, si velit, non perseverare, & cum auxilio, quod Deus confert, præstove est conferre ei, qui non perseverat, possit perseverare, atque per eum stet, quod non perseveret*, pro hanc novam doctrinam Censores perstringebant, judicantes, *hanc discrepare a communi, & catholica doctrina*. Dein propositiones de æqualitate auxilii adjuvantis agebant, pronuntiantes, doctrinam Molinæ adversam, *uti catholicam veritatem, a Patribus traditam, & a Concilio Arausicano definitam esse*. Reprobatis igitur tribus hujus Jesuitæ assertionibus habita est die vigesima septima Februarii Congregatio nona de modo efficaciz gratiz tradito a Molina, quam in rem quindecim omnino ejusdem propositiones damnabantur, stabilita gratia ex se efficaci, quæ in physica prædeterminatione sita esset. Sequenti mense Martio die sexta in Congregatione decima

S 3

actum



Sæcul. XVI.  
A. C. 1598.

actum est de scientia Media, circa quam proferebantur propositiones, quibus Molina hujus scientiæ necessitatem stabilire conatus asseruit, quod res non sint in æternitate physice præsentis, nec scientia Dei sit futurorum causa: verum hanc in rem Censores damnatis septem Molinæ propositionibus deciderunt, *scilicet numerum vel etiam necessarium esse, stricte præcipi, ne deinceps hac de re aliter loqui, doceri, aut sentire liceat, quam juxta sanam, & antiquam Theologorum doctrinam, Patrum sententias, & usitatum sacre Scripturæ modum &c.* Denique die decima tertia mensis Martii hoc anno undecima habebatur Congregatio, in qua de quarto Molinianæ concordie principio, de divina scilicet prædestinatione ad gloriam post prævisa merita, actum est, decemque Molinæ propositiones hanc in rem proscriptæ. His igitur undecim Congregationibus absoluebatur primum examen, juxta quod duntaxat generali proscriptione Molinæ libri damnandi censebantur, nulla adhuc peculiari propositione per peculiarem censuram notata.

§. VI.

*Sententia in Molinæ librum a Censoribus pronuntiata.*

*Hist. Congr.*  
*l. c. Hist.*  
*Controv. l. 3.*  
*c. 3.*

Tandem doctissimi hi Censores nonnisi post maturas, ac repetitas sæpius totius



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

totius causæ discussiones, resque prævie jamjam per integrum biennium digestas, de integra Molinæ concordia, ejusque principiis generatim, ut vocant, sequentem pronuntiarunt sententiam: *Cum sancti Augustini de gratuita prædestinatione doctrina a Patribus ad Patres quasi per manus tradita, ab Ecclesia non semel tantum, sed secundo, & tertio fuerit approbata, & hanc Molina contumeliose rejiciat, nec salva fide sustineri posse affirmet, atque omnia illa quatuor principia, ex quibus universam rationem conciliandi arbitrii libertatem cum gratiæ donis, præscientia, & prædestinatione deduxit, sint expresse contra S. Thomam, S. Augustinum, & ceteros Patres, multa etiam contineant, quæ haud obscure adversari videntur divinis Scripturis, & sacris Conciliis, aliqua etiam expresse tradita a Cassiano, & Fausto, contra quæ Augustinus, Prosper, Fulgentius, & Catholici Doctores fortiter sese opponentes, gloriose dimicarunt, salvo semper sanctæ Sedis Apostolicæ judicio, cui universa hæc a nobis scripta, & quoquo modo asserta religiose submittimus, censemus e re catholica esse, ut liber, qui inscribitur: Concordia liberi arbitrii cum Gratiæ Donis &c. compositus a Ludovico Molina, & ejusdem doctrina omnino prohibeatur, atque idem etiam censemus de Commentariis ejus in primam partem D. Thomæ,*



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

quousque saltem a viris ad hoc munus deputatis expurgentur a novis opinionibus, quæ veterum Theologorum, potissimum vero S. Thomæ, & Patrum doctrinæ adversari videbuntur. Cum autem illis, qui causa cadunt, nihil magis solemne sit, quam omnem culpam in Judicium iniquitatem, aut ignorantiam, vel nimiam festinationem rejicere, ita etiam Molinæ fautores spargere haud dubitabant, clarissimos hosce viros, & Censores ab ipso summo Pontifice speciatim designatos, & propter exploratam ipsorum integritatem, atque eruditionem selectos, fuisse iniquo in Societatem animo, occultisque inimicitiis occupatos, nec satis doctos nimia velocitate suam sententiam pronuntiasse: attamen vanæ horum querelæ satis, superque fuerant confutatae.

§. VII.

*Pontificis mandatum de hoc negotio magis adhuc discutiendo.*

Solutis hisce primi examinis Conventibus Purpurati Censorum Præsides auctoritate Apostolica muniti Gregorio Coronello sacri confessus Secretario negotium dabant, ut omnia Molinianæ concordiae loca in hisce Conventibus notata sedulo colligeret, illorumque distinctum indicem hujus Collegii nomine



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

ne summo Pontifici consignaret, quatenus hac ratione Clemens Papa veluti in speculo Molinianæ doctrinæ summam inspicere posset; ipse enim indefesso studio eruditorum sententias de controversis hisce quæstionibus explorans quorundam Consultorum lucubrationes hac de re adornatas sedulo perlegebat, nequid temere, aut nimis præcipiti consilio sancitum videretur: eapropter priusquam latam Censuræ sententiam sua quoque firmaret auctoritate, illamque publicam redderet, causam ulterius dignosci, ac superiorum undecim Congregationum iudicium secundis curis recognosci, sententiamque ab omnibus scripto pronuntiari, ac demum Congregationis Notario consignari præcepit, simulque ab Inquisitore Hispano transmissas Prædicatorum, & Jesuitarum lucubrationes, necnon Præsulum, & Theologorum censuras maturius expendi iussit. His ita sancitis Clemens VIII. die decima quarta Aprilis hoc anno Ferrariam versus, uti promiserat, iter arripuit, secumque ducere statuit Cardinalem Alexandrinum nomine Michaellem Bonellum, qui tamen iniquo prorsus Dominicanorum tempore præcipiti morte sublatus est.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1608.

§. VIII.

*Lata Censurorum judicia Pontificis jussu  
recognita.*

*Acta Con-  
greg. 14 Se-  
ptembr. 1608.  
Hist Congr.  
l. 3. c. 4.*

Hac Pontificis absentia adeo non Cen-  
sorum solertia deseruit, ut potius  
Papæ jussis exacte obtemperaturi ad  
continuandos suos conventus una omnes  
concurrerent, excepto Henrico Sylvio  
Apostolico Ordinis Carmelitarum Vice-  
rio Generali, cujus tamen vices Anto-  
nius Bovius Carmelitani Collegii Re-  
gens, postea ob insignia merita, & do-  
ctrinam Melfitensis Antistes, jam die-  
dum supplebat. Igitur Clemente Fer-  
rariam profecto coram utroque Cardi-  
nali Præsidente novi conventus sexta cu-  
juslibet hebdomadæ feria usque ad vi-  
gesimam secundam Novembris diem  
habebantur, in quibus prima cura eo  
abibat, ut priorum undecim Congrega-  
tionum judicia maturius recognosce-  
rentur, ac demum, si de censurarum  
æquitate, & justitia constaret, confir-  
marentur: tum vero unusquisque sigil-  
latim privato scripto, seu suffragio de  
Molinæ doctrina, necnon de Fratrum  
Prædicatorum, & Jesuitarum apologiis,  
& dissertationibus, ac denique de Hi-  
spanorum Præsulum, & Doctorum cen-  
suris sententias suas edixerunt, & qui-  
dem ex Consultoribus Episcopis primus  
Julius



Julius Sanctutius a Monte Filatrano Epi- Sæcul.XVI.  
A.C.1598.  
scopus Agathensis in variis Congregatio-  
nibus novem scriptotenus suffragia da-  
bat, in quorum septem Molinæ propo-  
sitiones tanquam temerarias, erroneas,  
& quasdam Pelagianas damnabat, in  
duobus vero postremis Hispanorum Præ-  
sulum, & Doctorum censuras, quibus  
Molinæ doctrina pari iudicio damnaba-  
tur, approbat, Complutensem vero, &  
& Seguntinam, & Placentini Episcopi  
censuras Molinianæ doctrinæ faventes  
omnino rejiciebat. Alter Consultor Læ-  
lius Landus Neritonensis Episcopus sex  
scriptis suffragiis Molinæ doctrinam Pe-  
lagianismi notat, septimo autem suffra-  
gio Salmanticensem, & Mindonensem  
censuram probat, rejicit tamen Com-  
plutensem, Carthaginensem, Segovien-  
sem, & Placentinam. Tertius Consul-  
tor nomine Propertius Resta Cariatens-  
is Præsul duodecim scriptis Molinæ  
dogmata impugnat, gratiam vero ex se  
efficacem tanquam dogma Catholicum  
certa fide tenendum commendat, simul-  
que Michaelis Solon, & Petri de Castro  
censuras confirmat, in eo tamen illos  
reprehendit, quod quæstionem de hac  
gratia solius nominis esse quæstionem  
judicaverint. Ex Theologis Censo-  
ribus prior Franciscus Brusius Ordinis  
S. Francisci quædam Molinæ dicta  
de



Sæcul. XVI  
A.C. 1598.

de causæ primæ influxu in sano sensu intelligi posse, in modo tamen loquendi Molinam esse castigandum censebat, ejusdem vero sententiam de gratia venefatili, & viribus liberi arbitrii in justificatione, necnon illius propositiones de scientia media, ut erroneas, falsas, & temerarias explodebat. Alter ex Theologis Joannes Baptista Plumbinus Ordinis sancti Augustini sex suffragiis doctrinam Molinæ declarat temerariam, blasphemam, erroneam, & hæresi proximam, ejusdem vero sententiam de Dei concursu velut erroneam, hæresim sapientem, piarum aurium offensivam, temerariam, & scandalosam reprobatur, censuras autem antea sancitas, latasque adversus novas Molinæ defensorum objectiones comprobatur. Gregorius Nunnus ejusdem Ordinis Theologus septemdecim suffragiis doctrinam Molinæ iisdem censuris notat, censuramque Salmanticensem, Mindonensem, Carthaginensem, necnon censuram Michaelis Solon, & Doctoris Sierræ commendat, sententiam autem Placentini Episcopi, necnon duorum Doctorum Facultatis Seguntinæ penitus rejicit, aliorum vero judicia partim reprobatur, partim confirmat: insuper Ludovicus de Creil Doctor Sorbonicus undecim suis suffragiis testabatur, quod primo intuitu Molinæ do-



doctrinam duntaxat in procedendi, ac probandi modo peccare existimarit, re autem maturius ponderata eandem esse temerariam, scandalosam, & Pelagianis faventem repererit: porro agens de Bannesii doctrina affirmabat, eam quidem esse veram, ex œconomia tamen ob circumstantias temporum ad evitandam simplicium hominum offensionem, publice non esse prædicandam: denique ex Hispanorum Episcoporum censuris quasdam approbat, nonnullas rejicit. Henricus Sylvius Ordinis Carmelitarum, etsi tum non interfuerit, antea tamen sua suffragia Notario tradiderat, in quibus Molinæ opiniones ut probabiles, aut saltem ab erroris nota immunes judicat, quatenus tamen is prædefinitionem veluti SS. Augustino, & Thomæ contrariam asserit, eum a temeritatis, & arrogantiae nota haud excusandum censet. Præterea Jacobus le Bossu Ordinis Sancti Benedicti Molinæ scripta temeritatis, impudentiæ, erroris, atque hæresis accusat, & convincit. Demum solus Antonius Bovius Ordinis Carmelitarum Theologus, qui olim Jesuitarum Societati adscriptus erat, cunctas Molinæ propositiones ab errore vindicabat, aut eas saltem ut probabiles sustineri posse censebat: hujus tamen Censoris judicium a Cardinali Madruccio

Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

*Hist. Controv. de Aux.*  
l. 3. c. 2.  
fol. 201.



**Sæcul. XVI.** drutio solide fuisse confutatum refertur.  
**A.C. 1598.** Nihilominus P. Livinus Meyer Jesuita  
 in sua historia de auxiliis solum hunc  
 Carmelitam Molinæ causæ patrocinan-  
 tem commendat, Asculanum vero,  
 Alexandrinum Cardinales, reliquosque  
 omnes Censores aut adversæ partis fa-  
 vore, aut privati commodi studio obce-  
 catos, vel omnino Theologicarum re-  
 rum ignorantia laborantes redarguit  
 ac tanquam de fide suspectos Cen-  
 sores rejicit. Ceterum absoluto non  
 hoc examine præcipue circa Episcopo-  
 rum Hispanorum, & Theologorum cen-  
 suras, nec non utriusque partis Apo-  
 logias facto, tandem die vigesima se-  
 cunda Novembris hoc anno Nunnio Co-  
 ronello, qui huic Censuræ Collegio a-  
 secretis erat, perscribendæ censuræ  
 cura fuit demandata, hic autem de hu-  
 jus examinis exitu hæc retulit: *ut ma-  
 turius expenderetur, an prædicta princi-  
 cipia (Molinæ) vel propositiones ad illa  
 redactæ, vindicari possent a nota erroris,  
 voluit sanctissimus Pontifex, ut Consulto-  
 res examinarent Apologiam Patrum Præ-  
 dicatorum in Hispania contra decem præ-  
 cipuas propositiones Molinæ, necnon ear-  
 um defensiones productas a Patribus So-  
 cietatis: censuit autem Congregatio doctri-  
 nam Patrum Prædicatorum esse sanam, &  
 catholicam, propositiones vero Molinæ non  
 æque*



æque vendicari a nota erroris per rationes productas a defensoribus suis, ad quas plene responsum fuit. Expensis deinde Episcoporum, & Universitatum scriptis, quæ Romam misit supremus Hispaniæ Inquisitor ad Sedem Apostolicam, apparuit ex pluribus illorum, iudicium Congregationis non rigorosum, sed mitissimum fuisse, atque adeo persistendum in censura, prout in Actis.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

§. IX.

*Verviniense colloquium de pace inter Hispaniæ, & Franciæ Reges sancienda.*

Interea Alexander Medicæus Florentinus Cardinalis a summo Pontifice ante biennium Legatus in Franciam decretus continuato studio pacis negotium promovere satagebat, tam prospero conatus sui successu, ut ad Januarium mensem inter Hispaniæ, & Franciæ Regum Oratores colloquium Vervini in Veromanduis, quod Gallicæ ditionis oppidum est, colloquium haberetur: præstituta igitur die Pontificis nomine eo convenerunt præfatus Cardinalis, nec non Franciscus Gonzaga Episcopus Mantuanus, & Bonaventura de Calatagirona Generalis Minister Ordinis sancti Francisci: Henricus vero Franciæ Rex

Thuan. l. 120  
Daniel Hist.  
de France  
tom. 10.  
Spond. hoc  
anno n. 2.

eo



Sæcul. XVI. A.C. 1598. eo ablegabat Pomponium Pelleverium  
& Brulartum Sullerium Parisiensis Senatus Præsidem: ab Alberto autem Archiduce, qui a Philippo II. pacis conciliandæ facultatem obtinuerat, missi aderant Joannes Richardotus privati Consilii in Belgio Præsides, Joannes Baptista de Taxis Sancti Jacobi Eques, & bellio Senatus Consiliarius, denique Ludovicus Verrichenus primus Secretarius, Consilii Thesaurarius. Convenientibus cunctis de loci prærogativa inter Delegatos altercatio innovata est jam tempore Concilii Tridentini agitata, que tamen hac ratione componebatur, ut Cardinalis Legatus in media aula sub umbraculo in editiori loco solus, atque ad ejus dexteram Gonzaga Pontificis Nuntius, & postea proximi federent ea ex parte Richardotus, Taxis, & Verrichenus Hispani Oratores: ad lævam vero Belleverius Franciæ Orator uno gradu prior ante Richardotum suam sedem haberet: demum extra ordinem Calatagirona postremum locum occuparet prope Casparum de Geneva Lullini Marchionem, qui Caroli Emanuelis Sabaudicæ Principis nomine intererat: porro Galli æque, ac Hispani palam declarabant, quod hic sedendi ordo neutri parti præjudicio esset. Ceterum hoc colloquium ferme integrum quadrimestre tene-







Sæcul. XVI. prima Februarii illius clementiam exorabat, redditaque utraque urbe omnium delictorum oblivionem obtinebat: hac Regis lenitate permotus Franciscus Hurtaldus, ejusque Frater Rupefortium, & San-Symphorianum die prima Martii Henrico tradiderunt,

§. XI,

*Mercurianus Dux in Regis gratiam receptus.*

*Memoir de Sully tom. I. c. 78.* Demum Rex itinere promotus Cenocellas pervenit, ubi Aloysiam defuncti Regis viduam Reginam Mercuriani Ducis sororem officiose invisens, ejus Fratri regiam spondebat benignitatem, si modo illa tempestative uti vellet: itaque Dux, cum se a præcipuis derelictum cerneret, ac tam validis Regis copiis resistendo impar esset, cum Henrico transigere statuit: ut autem proficuas concordie conditiones sperare posset, opera uti voluit Moncellensis Marchionissæ, quæ Regis Amasia erat. cujus etiam patrocinio tutus impetrabat, ut acceptis a Monmertino publicæ securitatis literis Mariam Lucemburgicam uxorem suam unacum Carolo Burnovio Nannetensi Episcopo, & Valentino Lapardeo Delegatis suis Andegavum, ubi tum Rex agebat, decernere permetteretur: atque illa injuriose ab Andegavenibus ingressu



ingressu prohibita ad Sejos pontes se conferre coacta est: ubi etiam Rex ad-  
 venerat, qui mox Caspari Schombergio, Jacobo Augusto Thuano, & Sofredo Calignoni, qui Eraldi-castro ad eum venerant, nec non Henrico, & Janino negotium dabat, ut cum Mercuriani uxore, ejusque Delegatis agerent: porro hæc præprimis Britanniae administrationem suo Marito sartam servari petebat, sed repulsam tulit, nec tamen animo dejecta postulabat, ut saltem unica ipsius filia Cæsari Notho Regis filio, quem ex Montcellensi Marchionissa susceperat, desponsaretur, hujusque connubii ope administratio juveni huic Principi obveniret: verum huic propositioni sese opponebat Schombergius; cum autem Rex Luxemburgicam exinde tristitia obrui intelligeret, miseratione tactus, ac Montcellensis sollicitatione impulsus illam accersebat, qua post prandium adventante Rex plene ejus votis annuebat, unde illa unacum Montcellensi Marchionissa Andegavum, a qua urbe paulo ante rejecta erat, triumphans ingrediebatur: dum paulo post de hujus connubii pactis agebatur, Mercurianus Dux, ejusque conjux Filiae suæ in dotem quinquaginta librarum millia ex Martigii, & Pentiveriæ Principatu percipienda assignabant, Rex vero Amasiæ suæ filio Cæsari Vindoci-  
 neu-

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1598.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

nensem Principatum unacum Paris Franciæ titulo hanc in rem die tertia Aprilis edito diplomate suo addebat, illumque Moncellensis suum hæredem declarans eidem Bellofortiensem Ducatum, quem a Rege dono acceperat, attribuebat: vicissim vero Mercurianus Dux ritu solemniori Britanniae administrationem Cæsari cedebat, ita tamen, ut Rex huius Provincie Proreges nominandi libertatem sibi reservaret, confectisque connubii tabulis centum sexaginta set aureorum millia ad reluenda Vindocinensis Principatus bona hisce sponseret, præter plures, amplissimæque pensiones, ex quibus Vindocinensis familia ad tantam opum abundantiam excreverat. Firmatis igitur præcipuis articulis nullo ferme negotio de ceteris utrinque conventum: ut tamen pax firma esset, nec factionum capita post privatam pacem majori cum discrimine repullularent, hinc Rex Schombergi suavis Villabosium, Campiniacum, & Burcanium additis etiam minis sollicitabat, ut urbes a se occupatas restituerent, qui etiam una omnes sese Regis fidei, ac clementiæ subjecerunt: quo facto tandem Rex exeunte Mense Martio edictum promulgabat, in quo ipse Mercurianum excusabat, quod hic non illico post ipsius cum Pontifice reconciliatio-

nem,



nem, & Cardinalis Legati adventum ad obsequium rediisset, cum id iustis, gravioribusque de causis Britanniae securitatem spectantibus fecisset: dein ipsum Mercurianum, omnesque, qui ejus partes vel armis, vel consilio tuebantur, in gratiam recepit, ea lege, ut fidem suam deinceps Regi juramenti religione devoverent; vicissim vero eos omnes bonis, juribus, suisque dignitatibus restituens, Magistratus a Duce creatos confirmabat, omnibus concessa praeteritorum criminum oblivione, excepto tamen Regis parricidio. Insuper Rex Clero decimas ab hac die remittebat, & vectigalium regionum exactionem inhibens, captivos utrinque sine pretio libertati restitui praecipiebat. Hoc edictum die vigesima sexta Aprilis Lutetiae Parisiorum, nec non Condeti Rhedonum in Senatu promulgatum est, hocque pacto universa Britannia exceptis paucis urbibus, quas adhuc Hispani tenebant, nondum expirante mense Martio Regi subiciebatur, ipsumque foedus, seu sacra unio, quae viginti duobus abhinc annis in Picardia ab Humerio inchoata, & ab Henrico Guisio Duce per tredecim annos continuata fuerat, tandem penitus extincta est, cunctis ejus sectatoribus ad Regis obsequium post ipsius cum Ecclesia Catholica reconciliationem reversis:

T 3 unde

Saecul. XVI.  
A.C. 1598.

1598  
1598  
1598  
1598



Sæcul. XVI. unde in regni legem transibat, nequaquam sperari posse, quod aliis præterquam fide catholicis quiete in Gallis regnare valeat.

A.C. 1598.

Spond. ad

hunc ann. n 3

§. XII.

*Angliæ Regina de futuro pacis negotio certior facta.*

Rapin l 12.

Thu. l. 120.

Daniel l. c.

p. 222.

Intestinis hisce tumultibus adeo feliciter sedatis Henricus Rex unice eo intentus erat, ut pari successu pax cum extero hoste ad exitum deduceretur: ut vero violati fœderis calumniam declinaret, Elisabetham Angliæ Reginam, & Belgicos Ordines sibi fœdere junctos de concepto pacis negotio, uti inter eos convenerat, præprimis certiores reddere statuit, hancque in rem Andream Huraltum Messium in Angliam ad Elisabetham ablegavit, qui regii propositiones explicans significaret, quod præfens quidem rerum vicissitudo pacis in eundæ necessitatem deposceret, Rex tamen Regina inconsulta nihil agere vellet: si vero pace cum Hispanis agitata & ipsa comprehendendi desideret, Rex illius res æque, ac suas curaturus sit, seculus vero ab ea petat, ut distincte explicet, quid ad mutuam inter utrumque Regnum amicitiam a Rege fieri postulet. Hanc Huralti propositionem Regina iniquo ferebat animo, reque ad Senatum



natum remissa Franciæ Oratori in re-  
sponsis dari jubebat, quod Henrici Re-  
gis voluntas in servando fœdere minus  
constans satis manifeste appareret: in-  
decorum autem foret, Anglorum, ac præ-  
cipue Belgii Ordinum res intempestiva  
hac pace in discrimen adducere: ve-  
rum Huraltus ad hæc mox reposuit: „Re-  
ges non alio pacto inter se fœdus in-  
eunt, nisi imbibita hac conditione, ut  
„statum rebus suis proficuum ample-  
„ctantur, perniciosum vero caute decli-  
„nent: Rex autem meus partibus suis  
„plene satisfecit, dum nihil eo in nego-  
„tio inconsultis suis fœderatis moliri  
„voluerit: de cetero curaturus est, ut  
„belgicis Ordinibus belli, pacisque tem-  
„pore abunde prospiciatur. „ Percepto  
hoc responso Elisabetha se brevi ad Re-  
gem Legatos missuram spondebat, qui  
de rationibus, quibus sibi, & Ordinibus  
caveri cuperet, cum Rege agerent.

## §. XIII.

*Elisabethæ Legati ad Franciæ Regem  
Deputati.*

Enimvero Regina Wilkium, Robertum  
Cæcilium, & Herbertum in Gallias  
ad Franciæ Regem ablegabat, quorum  
primus tamen vix Parisios delatus e-  
vis excessit, reliqui vero duo Andega-  
vum, ubi tum Rex agebat, profecti sunt,

*Rapin Thoi-  
ras l 17.  
Cambden in  
vita Elisab.*



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

ab eo sciscitantes, ad quem rei statum hucusque pacis agitatae negotium ductum sit? ad hæc Rex verbis admodum vagis reposuit, quod populi sui salus, quæ ipsi præ ceteris cordi est, nec non propriæ prosperitatis ratio omnino pacem deposceret. Ast nec minus ardentem, exposuit Cæcilius, Regina quidem pacem desiderat, scire tamen cupit, sub quibus conditionibus Hispaniæ Rex illam deposcat, utrumve Belgii Ordines pariter ea comprehendantur? at hæc Rex respondit: „Philippus II. omnes urbes, etiam Caletum, reddere spondet, tam amplam autem pollicitationem absque certa Regni ruina respuere haud valeo, curabo tamen, ut honorificis conditionibus paciter Reginae, & Ordinibus satisfiat. Ex his verbis Angliæ Oratores pacem Gallos inter, & Hispanos vix non esse confectam coniciebant, unde Elizabethæ jussu tam hi, quam Ordinum Deputati desuper apud Henricum Regem querebantur: hic vero quosdam deputabat, qui cum Reginae Legatis hac super re agerent, quibus una convenientibus Oldenberneveltus Ordinum Orator si dem ipsis violatam acrioribus verbis exprobrans inquebat: absque justa causa suos foederatos deserere, facinus est Principe indignum, quibus dictis palam foederis

John  
1598  
1598  
1598



Sæcul. XVI.  
A.C.1598.

deris olim initi articulos recitans sub-  
 junxit: *Nonnulli Principum privata sua  
 studia sædatorum commodis præseferunt,  
 non raro tamen cum proprio ipsorum da-  
 mno; res enim Principum, nisi fidei integri-  
 tate suffulciantur, incassum armorum po-  
 tentia stabiliuntur.* Ad hæc Franciæ Can-  
 cellarius, quem Rex deputabat, respon-  
 dit: „Tuæ querelæ rationem habere,  
 „haud operæ pretium est, totius tamen  
 „rei seriem Regi meo exponam: de ce-  
 „tero scias, pacem omnino Gallis esse  
 „necessariam.„ Cæcilius interim Re-  
 ginæ agendi rationem vindicare nisus  
 contra Franciæ Regem liberius decla-  
 mavit, & Reginam de cunctis hucusque  
 gestis certiozem reddendi spatium sibi  
 concedi postulavit: insuper etiam pecu-  
 niarum summas ab Anglis Regi mutuo  
 datas solvi petebat: eadem quoque postu-  
 lata Justinus Nassovius, & Joannes Ba-  
 melfeltius Oratores ab Ordinibus missi,  
 ac sub idem tempus adventantes urge-  
 bant: interea Angliæ Regina hanc  
 rem edocta in Henricum impoten-  
 ti ira flagrabat, eo potissimum nomine,  
 quod ab ipso hanc pacem unice ideo  
 agitari sciret, ut Pontifici, & Hispaniæ  
 Regi gratificaretur: quapropter arro-  
 gans hæc fœmina literas muliebri dica-  
 citate scatentes ad Regem dabat hæc  
 exponens: “ Si in rebus profanis pec-

T 5

„ca-



Sæcul. XVI.

A.C. 1598.

„catum contra Spiritum sanctum con-  
 „mitti valet, certe id non aliud est, quam  
 „ingratitude: si autem Maiestas vestra  
 „ab Hispaniæ Rege proficuas impetra-  
 „vit conditiones, eas suppetiis ab Angli-  
 „transmissis in acceptis referre tenetur  
 „de cetero pactorum Religio, & foede-  
 „ratorum fides non nisi ab impiis ad fal-  
 „lendum usurpantur. „ Verum hære-  
 „niæ ab Henrico Rege flocci habeban-  
 „tur, unde Cæcilius, & Nassovius rei in-  
 „fecta discedere coacti sunt.

## §. XIV.

*Vana Hugonottarum molimina pro  
 evertendo pacis negotio.*

Daniel l. c.

**E**odem tempore, quo Angliæ, & Or-  
 dinum Belgicorum Deputati Rhe-  
 dones, ubi tum Rex morabatur, ve-  
 nerant, pariter Hugonottæ, cum ambi-  
 tiosa sua consilia per hanc pacem ever-  
 ti probe prospicerent, Bullionium De-  
 cem, aliosque sectæ suæ Proceres ad  
 hosce Legatos decernebant, eo fine, ut  
 illos impense rogarent, quateus nul-  
 lum non moverent lapidem, ut pacis  
 consilia cum Hispanis præpedirent, se-  
 que suorum Principum nomine huic ne-  
 gotio totis viribus opponerent, imo et-  
 tiam Regi minas intentarent, quod cum  
 Hispaniæ Rege armorum societatem  
 contra Gallos inire, atque antiqua tam  
 Hispa-



Hispanorum, quam Anglorum iura in varias Franciæ Provincias resuscitare, parati essent: Henrico tamen pollicerentur, quod tunc, si ab hac pace alienum se exhiberet, durante hoc bello decem peditum millia præter mille equites Anglorum, & Ordinum sumptibus alendos unacum navigiis valide instructis suppeditare velint. Verum fallacibus hæreticorum promissis Rex nullatenus fidere assuetus paucis respondit, ob præsentis Regni, populique necessitates pacem omnino esse necessariam. Accepto hoc responso Angli die vigesima quarta Aprilis discesserunt.

Sæcul. XVI.  
A C 1598.

§. XV.

*Celebre editum Nannetense in Protestantium gratiam promulgatum.*

Rex cum plenam Regno suo libertatem restitui desideraret, atque audaciam, & perversa Hugonottarum consilia probe perspecta haberet, hinc temporum iniquitati cedendum ratus illorum ad novos tumultus pruriginem quadantenus sedare statuit; quamvis enim iam antea importunis sollicitationibus, ac minacibus illorum exoptulationibus adactus eisdem ferme cunctos iniqui postulati sui articulos indulisset, nondum

Spond. hoc  
ann. n. 4.  
Daniel p. 209  
Thuan. l. 120  
p. 823.



Sæcul. XVI. dum tamen ab eis impetrare potuit, ut  
 A.C. 1598. feditiosum Castri-Eraldi conciliabulum  
 solverent, ac tanquam fideles subditi de-  
 bitam Regi suo obedientiam, & submis-  
 sionem exhiberent: enimvero Rex ex-  
 tinctis fœderatorum tumultibus, ac les-  
 me cessante Hispanorum metu horum  
 hæreticorum pertinaciam armorum vi-  
 frangendo par erat, sola tamen vio-  
 lentia Regnum gubernare, & pro pote-  
 statis mensura, sua in subditos imperia  
 extendere, tyrannidis speciem præse-  
 ferre arbitrabatur, hinc denuo Bullio-  
 nium Ducem, & Tremollium præce-  
 pua Hugonottarum capita coram Hen-  
 se, eosque Nannetum, ubi tum Hen-  
 ricus diversabatur, contendere iussit. Hi  
 ergo toties repetito Regis mandata  
 haud ultra resistendum rati die quinta  
 Aprilis sese itineri accingunt, ac inter-  
 ea Novam suæ Sectæ virum Conventus  
 sui Præsidem nominant, cui Pleffius  
 Mornæus Regis nomine præcipiebat, ut  
 quantocius quòsdam plena facultate in-  
 structos Nannetum decerneret, si vero  
 rursus sese opponeret, Regem extrema  
 adhibiturum sciret. His minis territus  
 Nova Constantium, Motham, Cascum,  
 & Camierum Montis Adomaris Mini-  
 stellum ablegabat: Rex vero suo nomi-  
 ne huic colloquio interesse voluit Schom-  
 bergium, Thuanum, Calignonum, & Ja-  
 ninum



ninum : cunctis igitur una congregatis Hugonottarum Deputati summa pertinacia sibi concedi postulabant, ut absque Regis, vel Magistratus consensu in quovis loco, & tempore, quotiescunque eis placuerit, conventus habere valerent, eisque Ministri Protestantes etiam exteri interesse possent. Equidem regii Deputati prospiciebant, hac concessione ipsis aditum aperiri. ut cum exteris Principibus intra Regnum clam conspirare possent: cum autem hi, nisi id eis indulgeretur, se discessuros minitarentur, Rex autem quovis pretio litem cum Hugonottis dirimere vellet: hinc regii Deputati annuerunt, re autem comperita a Rege acriter desuper obiurgati sunt. Præterea postquam Hugonottæ cum Regiis Deputatis pro more hæreticorum non minori verborum acerbitate, quam animi pertinacia diu altercati fuerant, ac nonnisi ægerrime circa quædam capita nonnihil remisérant, tandem pro sectæ suæ securitate edictum longe magis propitium, quam unquam sub priorum Regum regimine, impetrarunt, quod a loco, ubi condebatur, Nannetenſe edictum vocatur, ac die trigesima Aprilis hoc anno utrinque subscriptum, nonnisi anno sequenti in Senatu promulgatum est, postquam Cardinalis Legatus regno exceſſerat.

Sæcul. XVI  
A.C. 1598.

§. XVI.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

§. XVI.

*Præcipui edicti Nannetensis  
articuli.*

*Mem. de Sul-*  
*li tom. I. cap.*  
*39. Hist. de*  
*l'Edit. de*  
*Nantes l. 8.*

Porro hoc edictum præter quinquaginta sex secretos articulos complectebatur nonaginta, & unum capita, quorum præcipua hæc erant. I. Hugonotum in universo Regno, extra urbes tamen, conscientia libertas indulgetur, non tamen publicus sectæ suæ usus, excipiuntur tamen omnes civitates, quæ Hugonotæ urbes refugii appellantur. II. Publicum Religionis Catholicæ exercitium in omnibus locis, ubi fuit abolitum, restauretur. III. Hugonotæ ad omnia officia, & dignitates idonei conferantur, eorumque non minus, ac Catholicorum proles in Collegiis, atque Universitatibus libere literis vacare possint, illorumque pauperes, & infirmi in Nosocomiis recipiantur. IV. In variis Regni locis Curia partim ex Catholicis, partim ex Calvinistis erigantur: Hugonotæ tamen clandestina tam intra, quam extra Regnum consilia haud ultra foveant, omnesque conventus suos dissolvant, nec novos instituant, exceptis iis, quos ad illorum preces habere permittentur, in quibus tamen inermes compareant. Hoc articulo, qui octogimus secundus erat, concessio nuper a regis



regiis Deputatis facta restringebatur. Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.  
 V. Hugonottæ suæ hæresis libros præterquam in locis, ubi liber sectæ suæ usus viget, nec typis edant, ne publice vænum exponant, illi autem libri edendi a regiis Ministris, & Theologis recognoscantur. Hi erant præcipui hujus Edicti articuli, reliqui vero potissimum iustitiæ administrationem concernebant,

§. XVII.

*Hugonottarum Legatio ad Regem decreta.*

His ita sancitis Calvinistarum Deputati Nanneto ovantes profecti edictum ad Castrum-Eraldi deferebant, unacum bino Regis diplomate, quorum primo Rex spurix Reformationis Sectatoribus, ut urbes, & loca hucusque occupata per octo annos retinere possent, indulgebat, eisque centum octoginta aureorum millia quotannis pro alendis urbium præsidariis suppeditare pollicebatur: altero autem diplomate idem Rex annue pro Præconum sustentatione quadraginta quinque aureorum millia spondebat, ea tamen lege, ut decimas catholicis Parochis, ceterisque, quibus decimas percipiendi ius competit, solvant. Recepto hoc edicto, & utroque diplomate Hugonottæ Castri-Eraldi congregati decernebant, ut altera die pro tam luculento bene-

*Daniel l. 6.*



Sæcul. XVI.  
A. C. 1598.

beneficio per solemnem Legationem gratas Regi rependerentur. Verum quavis Rex hoc edictum Protestantibus adeo proficuum executioni mandari iussisset, hancque in rem in omnes Provincias suos Deputatos ablegasset, nihilominus Hugonottæ non contenti, quod per summam violentiam, atque importunitatem iniquissimo modo hoc edictum extorsissent, insuper adeo se ingratos erga Regem exhibebant, ut sæpius pacta hoc edicto sancita violarent, atque evolutis octo annorum spatio urbes legitimo Principi restituere recusarent: unde res solo hoc ex capite promeriti sunt, ut progressu temporis Ludovicus XIV. Franciæ Rex hoc edictum aboleret.

§. XVIII.

*Hoc edictum a Curis acceptatum, promulgatumque.*

*Hist. de l'Edit. de Nantes l. 8.*

Enimvero adversus hoc edictum Catholicæ Religioni adeo nocivum summus Pontifex reclamabat, intimumque animi sui dolorem apud Rhedonensem Episcopum testabatur: ipse etiam Cardinalis Papæ Legatus desuper vehementer querebatur, nec minus etiam Senatus, Clerus, Universitatis Rector, totumque Sorbonnæ Collegium in apertas erumpebant indignationes; nec deerant Prædicatores, atque inter illos præcipue Pater



Pater Brulartus Cappucinus Sillerii To-  
 parchæ frater, qui in suis sermonibus  
 contra perniciosam hanc indulgentiam  
 vehementer declamabat, eapropter hoc  
 edictum præfente adhuc Cardinali nec  
 promulgatum, nec ab illo Senatu Ca-  
 tholico ad acta relatum est: Rex tamen  
 pacem, quam immodice exoptabat, ex-  
 inde præpediri veritus, omnem aucto-  
 ritatis suæ vim eo impendere cogeba-  
 tur, ut tandem Parisiensis Senatus die  
 vigesima quinta Februarii anno sequen-  
 ti hoc edictum confirmaret, ea tamen  
 lege, ut ei illud additis, demptisque  
 aut restrictis quibusdam immutare inte-  
 grum esset, quod Rex haud reluctantè  
 concessit. Postea Parisiensis Senatus  
 exemplum reliquæ hujus Regni Curix  
 sequebantur, potissimum illis per motæ  
 rationibus, quas Henricus Rex ad ob-  
 tinendam hujus edicti confirmationem  
 proponebat, habita hanc in rem oratio-  
 ne, quæ huc referri meretur, eo quod  
 Regis affectum erga Religionem, &  
 Patriam luculento argumento testatum  
 reddit.

## §. XIX

*Henrici Regis oratio ad Senatus De-  
 putatos pro obtinenda edicti sui  
 confirmatione.*

*Hist. Eccles. Tom. LII.*

U In-

Secul. XVI.  
A.C. 1598.



Sæcul. XVI  
A.C. 1598.

Intellexi equidem, inquiebat Rex, „re-  
„tiones, precesque, quas Senatus  
„mei Curia ore, & calamo interposuit  
„mihique per Seguerium Præsidem ex-  
„hibuit: excipere quoque paratus sum  
„semper omnes propositiones, quas vobis  
„meo obsequio addicti, ut par est, ex-  
„sincero affectu mihi exponunt: postre-  
„mas vero literas vestras secretiori Se-  
„natui meo exhibui, meumque edictum  
„tam circa ea, quæ mihi exposuistis  
„quam circa Senatus mei monita im-  
„vari iussi: mihi equidem persuasum ha-  
„beo, quod vos omnes Religionis stu-  
„dio impulsifueritis: attamen Religio  
„Catholica non nisi per pacem conserva-  
„ri potest, nam Regni pax est pax Ec-  
„clesiæ: si ergo pacem diligitis, me quo-  
„que diligetis, quod tamen non fecistis,  
„dum meam fidem vobis esse suspectam  
„ostendistis; idem enim facitis, quod  
„exteri, imo mei etiam hostes contra me  
„fecerunt. Num tolerandum est, quod  
„omnes Christianæ Reipublicæ Princi-  
„pes me tanquam primogenitum Eccle-  
„siæ Filium, Regemque Christianissi-  
„mum colant, & ipsemet summus Pon-  
„tifex me pro Catholico habeat: vos  
„autem, qui mei Senatores estis, me su-  
„spectum meis subditis reddere velitis,  
„petatisque, ut hi de meæ fidei integri-  
„tate dubitent? sum Catholicus, &

„qui



„quidem Catholico-Romanus, similis Sæcul XVI.  
A.C. 1598.  
 „tamen illi Pastori, qui lenitatis voce o-  
 „ves suas ad ovile reducere fatagit:  
 „num verbis meis, quæ de me audistis,  
 „credere non vultis? Papa, & Hispa-  
 „niæ Rex illis fidem adhibent, & vos  
 „adhuc de me dubitatis? haud ignoro,  
 „quod Regnum meum, nisi salva Reli-  
 „gione Catholica, subsistere nequeat: ast  
 „nec Religio, nec Regnum nisi per me  
 „salvum esse potest: vestræ autem diffi-  
 „cultates contra meum edictum motæ  
 „vehementer res meas turbant; non  
 „defunt enim imbecilles falsis suspicio-  
 „nibus, quæ ipsis ingeruntur, usque a-  
 „deo seducti, ut quisquam ex me scisci-  
 „tari ausus fuerit, an ergo Parisiis duæ  
 „Ecclesiæ, una Catholicorum, altera  
 „Hugonottarum erigantur, insolitumque  
 „sit, quod Hugonottæ in Parisina urbe  
 „pro suis concionibus Ecclesias possi-  
 „deant?

„Lubenti quidem animo omnium  
 „meorum subditorum monita excipio,  
 „& si ea salutaria sunt, illa etiam ample-  
 „ctor, sique eorum opinionem mea sa-  
 „niores deprehendo, lubens eam im-  
 „muto: nam nullus ex vobis est, qui me  
 „accedens dicet: *Rex! rem omnium iudicio*  
 „*injustam attentas*, quin hunc pronissimis  
 „auribus excipiam: en! nunc res in eo  
 U 2 „ est



**Sæcul. XVI**  
**A. C. 1598.**

„est, ut tandem omnes falsi rumores  
 „dissipentur, nec ultra Catholicos inter  
 „& Hugonottas discrimen fieri oportet  
 „nam necesse est, ut una omnes sint  
 „deles Galli, & Catholici Hugonot  
 „tas probæ vitæ exemplo ab errore re  
 „vocent: non ergo perversis rumoribus  
 „qui universum pervagantur regnum  
 „ansa est præbenda: vos autem horum  
 „caussa existitis; eo quod edictum meum  
 „confirmare cunctati sitis, in variis enim  
 „locis divulgabatur, quod Nannetensi  
 „edictum idem sit, ac illud, quod olim  
 „in mense Januario fuit promulgatum.  
 „Scio equidem, quod in regno meo  
 „Catholici numero sint potissimi, verum  
 „nec erunt, nec esse poterunt Catholici  
 „absque meo auxilio: porro jam a longo  
 „tempore quoddam agitavi consilium,  
 „illudque executioni mandare delibe  
 „ravi, sed id pace non reddita exequi  
 „non potui. Ceterum repeto, sum Rex  
 „& Pastor, qui mearum ovium sangui  
 „nem effundere nequeo, sed illas leni  
 „tate revocare cupio: hinc iterum, ite  
 „rumque vobis declaro: sum Rex Ca  
 „tholicus &c. præcipio etiam, ut Ca  
 „tholici morum probitate eluceant,  
 „quam in rem quibusdam meis subdi  
 „tis beneficia contuli, ut iis suos filios  
 „alere possint, quatenus hi aliquando ad  
 „Ec.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

„Ecclesiæ munia idonei evadant: vos au-  
 „tem tumultibus, quos per vestras ter-  
 „giversationes in regno meo fovetis,  
 „mea consilia evertitis: vestra etiam re-  
 „pulsâ Hugonottis ansam suppeditavit,  
 „ut cœtus agendi facultatem a me pe-  
 „terent; exinde enim intellexerunt,  
 „quanta prævaleant potentia. Sane, etsi  
 „Hugonottis etiam pecuniarum subsi-  
 „dia contulissetis, non tamen adeo mu-  
 „nificos, quam hac agendi ratione feci-  
 „stis, vos erga illos exhibuissetis, ideo  
 „haud temere suspicor, quod illi ex vo-  
 „bis nonnullos, qui meæ resistunt vo-  
 „luntati, auro corruperint: enimvero  
 „quando adversus Calvinistas, dum ad-  
 „huc ex eorum numero eram, edicta  
 „promulgabantur, præ gaudio exilie-  
 „bam, dicens: *Deo sint laudes, modo ad*  
 „*quatuor, modo ad sex armatorum millia*  
 „*copiæ nostræ excrescent, & re ipsa semper*  
 „*exercitus nostri numerus augebatur;*  
 „hi enim, qui antea dispersi erant, ad  
 „signa redire cogebantur: jam vigesi-  
 „mus quintus effluxit annus, ex quo  
 „Calvinistis præeram, exinde vero o-  
 „mnium animos mihi perspectos habeo,  
 „& nosco illos, qui bellum desiderant,  
 „nec minus nosco etiam eos, qui pacem  
 „exoptant: nosco illos, qui Religionis  
 „Catholicæ studio arma sumpserant, nec  
 „minus cognitos habeo eos, qui ex am-

U 3

„bi-



Sæcul XVI. „bitione, & Hispanæ factionis impulsio  
 A.C. 1598. „bellum gesserunt: denique nosco illos  
 „qui ex Calvinistis non nisi prædandi co-  
 „peditate adacti erant, quorum omnis ge-  
 „neris aliqui, etiam ex Catholicis, nume-  
 „rabantur. Summo sane labore confecti  
 „ut Hugonottas ad obsequium redue-  
 „rem; prout etiam defunctus Rex pro-  
 „pterea in suo regno plurima perpessus  
 „est, interim ego semper pacis studio-  
 „sus, patriæque affectus eram; testis  
 „mihi est Belleverius, qui sæpius me  
 „cum egit: exinde autem ortum tra-  
 „xit, quod multi de me, pluribusque  
 „aliis, qui disciplinam, pacemque dilige-  
 „bant, obloquerentur, nosque causis  
 „imutos appellitarent, quos inter Blin-  
 „nius erat: nec id ignorat Connestab-  
 „lis, qui hic præsens est. Referam, quæ  
 „circa duos Calvinistas me Rothomagi  
 „accedentes mihi evenerant, quorum  
 „tamen nomina impræsentiarum re-  
 „ceo: horum unus circa sectæ suæ causam  
 „sæpiam amplissimis verbis edisserens ai-  
 „bat, quod propter conscientiæ liberta-  
 „tem omnia reliquisset, ac potius o-  
 „mnium, quam animæ, jactura esset to-  
 „leranda: postquam igitur hic suum ab-  
 „solverat sermonem, ad illos, qui co-  
 „ram erant, huncque perorantem per-  
 „ceperant, conversus inquebam: nihil  
 „horum credatis velim: ipse vero me  
 „allo-



Sæcul. XVI.  
A.C.1598.

„alloquens subjunxit: cur non Rex po-  
 „tentissime? cui ego: de te loquor,  
 „tuis autem verbis nullam fidem adhi-  
 „bendam repeto, quia quotiescunque  
 „contra Calvinistas edictum fuit editum,  
 „semper Missæ Sacrificio interfuisti, &  
 „si una Missa tibi non sufficiebat, etiam  
 „alteri, & nonnunquam tertiæ præsens  
 „aderas: alteri vero, qui haud absimi-  
 „lia de sua secta proferebat, reposui:  
 „haud ignoras, quod fur, latro, & prodi-  
 „tor fueris, quantumvis enim ex meis  
 „Consiliariis unus extiteris, propterea  
 „tamen te ex Senatu meo ejeci. Ce-  
 „terum vos mala, & bona regni mei non  
 „adeo probe perspecta habetis, sicut ego,  
 „qui omnes, quibus laborat, languores  
 „dignosco, & absque præsumptione di-  
 „cere audeo, quod illos melius, quam  
 „omnes mei Prædecessores, cognitos  
 „habeam: insuper remedia cognosco,  
 „nam id didici ex calamitatibus, qui-  
 „bus opprimebar, necnon ex necessita-  
 „tibus, quibus immerfus eram; id vero  
 „absque propria experientia adeo per-  
 „spicue cognoscere non potuissem. Plu-  
 „res, quam vos omnes, gratias, ac bene-  
 „ficia a Deo recepi, nec propterea in-  
 „gratum animum exhibere volo; mea  
 „enim indoles ingratitude abhorret:  
 „equidem erga Deum satis gratus esse  
 „nequeo, saltem tamen spero, me ab eo

U 4

„ob-



Sæcul. XVI.

A.C. 1598.

„obtenturum gratiam, ut semper pia fe-  
 „veam desideria. Sum Catholicus, nec  
 „permittam, ut in Catholicæ Religionis  
 „fervore quisquam in regno meo ma-  
 „superet: ast ex privati quæstus studio  
 „se Catholicum gerere, nefas est, inte-  
 „rim mihi firmiter persuasum habeo,  
 „quod regnum a Religione non sit se-  
 „parandum: de cetero percepta vix re-  
 „pulsâ, qua ceteræ meæ Curæ meam  
 „declarationem anno millesimo quingenta-  
 „tesimo nonagesimo quarto confirmari  
 „reuerunt, prout & vos etiam fecer-  
 „istis, mox Hugonottæ Castri- Eruditi  
 „ampliora quam antea postularunt, præ-  
 „cipui equidem ex iis, qui huic Conventui  
 „intererant, ac regni salutem cogitantes  
 „habebant, nequaquam petere ausi sunt,  
 „ut suæ Sectæ consiliiarii ad Senatuum  
 „admittantur, potissima tamen suffragio-  
 „riorum pars, ac seditiosorum, & turbu-  
 „lidorum multitudo prævalebat, sicut  
 „in societate fit, ubi suffragiorum numero  
 „merus sanioerem partem superat: haud  
 „ignoro, cujus conditionis sint eiusmodi  
 „di conventus, ubi tot existunt Reges,  
 „quot Consiliiarii: ipse ego regnante  
 „defuncto Rege hisce cætibus interfui,  
 „ac non nisi ægerrime hosce homines  
 „ad mea iussa inclinare poteram, tan-  
 „dem vero superior evasi, ac dicere au-  
 „deo, quod quidem antea plures in re-  
 „gno



Sæcul.XVI.  
A.C. 1598.

„gno meo ejusmodi Reges exstiterint,  
 „sed illos ego expulerim, unde eis fat  
 „indicavi, quod nonnisi nominatenus, ac  
 „depicti Reges fuerint. „

„Exprobratur mihi, quod Calvinistis  
 „faveam, nec desunt, qui de me diffi-  
 „dentiam aliis inspirare fatagunt: ast si  
 „Religionis Catholicæ excidium inten-  
 „derem, non eam hucusque agendi ra-  
 „tionem tenuissem, nec vos me præpe-  
 „dire possētis, si hujus fidei ruinam de-  
 „siderarem: possem enim viginti arma-  
 „torum millia accersere, & quoscun-  
 „que luberet, inde ejicere, & siquem  
 „exilio plecterem, is obedire cogeretur,  
 „insuper possem etiam vobis dicere: *Do-*  
 „*mini Judices, volo, ut edictum meum aut*  
 „*confirmetis, aut mortem subeatis:* verum  
 „hac ratione tyrannum agerem, hoc  
 „autem regnum non tyrannorum more  
 „mihi vindicavi, sed mihi naturæ jure  
 „debetur, illudque meo sudore acquisi-  
 „vi: hinc regnum meum felix reddere  
 „decevi duplici connubio, quorum pri-  
 „mum iamiam circa Sororem meam  
 „alteri nuptam perfeci, secundo autem  
 „matrimonio Franciæ pacem reddere  
 „desidero, id tamen perficere nequeo,  
 „nisi edictum meum confirmetur: er-  
 „go confirmate illud: mea equidem ju-  
 „stitia est dexterum meum brachium,  
 „ac etiamsi absque dextero brachio es-

U 5

„sem.







Sæcul.XVI.  
A.C.1598.

„xat quatuor erunt, nam reliquos duos  
 „eis promissi duntaxat, si illorum offi-  
 „cium vacat, vel mors contingat; offi-  
 „cia enim mei Senatus, uti nostis, in  
 „casum mortis supprimi solent: scio e-  
 „nim, quod regni mei salus, nec non re-  
 „rum mearum conditio non permit-  
 „tant, ut officiis alios, quam Catholicos,  
 „præficiam, imo quamdiu adhuc Cal-  
 „vinistis adhærebam, non nisi Catholi-  
 „cos officiis publicis præesse volui, fa-  
 „tis persuasus, quod id regni utilitas de-  
 „poscat: nec etiam in præcipuis urbi-  
 „bus ullos alios Vicarios, & Guberna-  
 „tores, nisi Catholicos, nominare volo,  
 „nam scio perbene, quantæ auctoritatis  
 „sint ejusmodi officia, & quantum se eo-  
 „rum extendat jurisdictio; Rupellis e-  
 „nim eram, ubi Vicarii potentiam ex-  
 „pertus sum, quamvis urbis cives nil  
 „intentatum reliquissent, ut suam, alio-  
 „rumque auctoritatem factam serva-  
 „rent; si enim Vicarius, & Gubernator  
 „conspirant, actum est de justitia, & æra-  
 „rio, nam cetera nihil profunt. Attamen  
 „a vobis præpedior bonum procurare,  
 „quod ex confirmato edicto resultaret;  
 „oblata enim occasione Catholicos Mi-  
 „nistros urbibus, quas Calvinistæ tenent,  
 „præficere statui, uti iam feci Nemausii,  
 „ubi Prætorem Religione Catholicum  
 „nominavi, quamvis Hugonottæ mille  
 quin-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

„quingentos aureos amplius, quam Ca-  
„tholici, pollitici essent: testis mihi est  
„Connestabilis, & Cancellarius, qui hu-  
„jus officii diploma confecerunt: ergo  
„Senatus mei viris exponite mentem  
„meam, quam circa Consiliariorum nu-  
„merum, & generalium, ac particu-  
„larium Vicariorum officia me habere  
„nunc coram vobis declaravi.

„Non permittam, ut quisquam me  
„Catholicæ fidei fervore excedat; hi  
„enim, qui ardentius Catholici videntur  
„gestiunt, tales se simulant: præ ceteris  
„omnibus diligo Parisiensem meum Se-  
„natum: fateri enim cogor, quod hic solus  
„sit locus ille, in quo hodie dum iusti-  
„tia in regno meo residet, nec auro cor-  
„rumpitur: in plerisque vero aliis meis  
„Curiis iustitia venalis exponitur, atque  
„ille, qui duo aureorum millia donat,  
„prævalet illi, qui minus dispensat:  
„porro de hoc certus sum, nam ipse  
„ego olim corradendis pecuniis ope-  
„ram impenderam, & quidem ad priva-  
„tos meos usus.

„Ceterum vestræ tergiversationes,  
„cunctationesque ad insolitos tumultus  
„in urbibus fomitem suppeditant; unde  
„de etiam Turronii contra meum edi-  
„ctum publicæ decernebantur supplica-  
„tiones, quæ tamen potius ubique,  
„quam in hac civitate, decerni debu-  
„issent.



Sæcul. XVI.  
A. C. 1598.

„sent, cum ipſus ego illius Archiepiſco-  
pum nominaviſſem: inſuper ejuſmodi  
„ſupplicatio Cenomani fuit inſtructa eo  
„fine, ut Iudices ad rejiciendum hoc e-  
„dictum a Deo permoveantur, quod ſa-  
„ne nonniſi ex maligno impulſu factum  
„eſt: nunc autem præpedite, ne deinceps  
„ſimilia attententur: inſuper rogo vos,  
„rem ita agatis, ut ea de re haud am-  
„plius queri cogar, idque poſtrema vice  
„factum ſciam. „

Hac Regis oratione vix non omnes regni Senatus permoti Nannetense edictum ad tabulas redegerunt, hacque ratione in eadem urbe, in qua ante triginta novem annos ob novæ ſectæ cauſſam prima Proteſtanti-um conſpiratio contra Guifios inchoata eſt, hoc anno ibidem diuturnis hiſce hæreticorum tumultibus finis imponebatur.

§. XX.

*Pacis negotium Vervini promotum.*

Interea pro urgendo pacis negotio Vervini die nona Februarii prima habebatur Sefſio, in qua nonniſi officioſæ præmittebantur ſalutationes: in ſecunda vero Commendator de Taxis alter Hiſpaniæ Legatus palam declarabat, quod Rex Catholicus omnes in Picardia occupatas urbes Henrico Regi reddere, &

Thuan. l. 120  
Harraeus de  
bell. Belg.  
Observat.  
Sur les  
Traitéſ des  
Princes par  
Amelot Let-  
tre d' Oſſat.  
17. Decemb.  
1598.

Bla-



Sæcul. XVI. Blavetani portus, qui hodie Ludovicus  
 A. C. 1598. portus dicitur, munimenta in Britannia  
 solo æquare, ac præfidiarios inde revo-  
 care paratus sit: unice igitur de tem-  
 pore, quo hæc effectui darentur, diffi-  
 cultas supererat, quam tamen Legatus  
 sua prudentia feliciter superabat: cum  
 autem Lullinius Marchio Sabaudicæ Du-  
 cis Orator Salutiarum Principatum re-  
 stitui nollet, ac suum Principem non mo-  
 do in hoc fœdere comprehendere, sed et-  
 iam diffidia, quæ cum Gallis habebat,  
 summi Pontificis arbitrio relinqui pete-  
 ret, Legatus Pontificius sua dexteritate,  
 prudentia, ac moderatione rem apud  
 Franciæ Regem eo redegit, ut salvis  
 Sabaudi, Regisque juribus tota lis com-  
 poneretur, sublatisque omnibus obsta-  
 culis inter ambos Reges pax prospero  
 successu constitueretur: unde mox pa-  
 cis conditiones ab Oratoribus subscrip-  
 ptæ die secunda Maji Cardinali Legato  
 tradebantur, ea tamen lege, ut illas ne-  
 mini usque ad hujus mensis exitum ma-  
 nifestaret, nisi Principes illas citius pro-  
 mulgari desideraverint: quocirca hæc  
 pax ante mensem Julium non fuit pro-  
 mulgata.

§. XXI.

*Verviniensis pacis articuli.*

Porro



Porro hæc pax inter Franciæ, & His- Sæcul XVI.  
A.C.1598.  
paniæ Reges inita triginta septem *Harræus l.c.*  
complectebatur articulos, quorum præ- *p. 537.*  
cipui erant sequentes: I. Pax stabilis,  
& sincera ineatur juxta conditiones pa-  
ctiõnis Cameracensis inter Hispaniæ Re-  
gem, & Henricum II. anno millesimo  
quingentesimo quinquagesimo nono ini-  
tæ, atque adversis utrinque pactis, aut  
foederibus nuntium mittatur, II. Li- *Spond.n.5.*  
ber sit cujuslibet Regis subditis commer-  
cii, terra, marique usus, salvaque omnia  
privilegia, atque immunitates. III,  
Subditi, qui alterutram partem secuti  
sunt, in bonorum, & locorum suorum  
possessionem restituantur. IV. Rex Ca-  
tholicus Caletum, Hardæam, Hullini-  
montem, Dorlanium, Capellam, Castel-  
lum in Veromanduis illa quidem loca  
sine dilatione, Blavetum autem in Bri-  
tannia intra duos menses, Gallis resti-  
tuat, atque ob id sex obsides det: Rex  
quoque Gallus Caroloregiensem principa-  
tum, & siquæ alia sunt ab eodem Rege  
Christianissimo, aut a suis ab anno millesi-  
mo quingentesimo quinquagesimo nono  
occupata, bona fide itidem restituat. V.  
Bello capti, & adhuc utrimque detenti  
expensis, & legitimis debitis rite perso-  
lutis sine lytro liberentur, nisi de solven-  
do libertatis pretio aliter convenerint:  
quod si quis modum excedi quereretur,  
Prin-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

Princeps regionis, ubi captivus detinetur, rem moderabitur. VI. Christianissimo Regi Franciæ, & Navarræ, eique hæredibus, & actionem habentibus reserventur quævis jura, actiones, prætenfiones, quibus nec per ipsum, nec per Majores ejus diversis verbis renuntiatum est, ut de iis vel amica compositione, vel juris via, non autem armis agere possit. VII. Quemadmodum etiam Regi Hispaniarum, & Infanti Serenissimæ Filiae ejus natu majori, eorumque hæredibus, aut actionem habentibus jura omnia, actiones, & prætenfiones quibus nec Rex, nec Majores ejus expresse renuntiarunt, reserventur, ut de iis pariter sine armis contendere possit. VIII. Dux Sabaudiae in hac pactione comprehendatur, qui ut suum desiderium testetur de satisfaciendo regiæ voluntati, oppidum cum castro Berrenfina intra bimestre a die hujus pactionis computandum suæ Majestati, vel ejus Deputato restituet sub conditionibus, & restrictionibus iisdem, quibus alia loca restituenda fuere decreta. IX. De aliis inter Regem Christianissimum, & Sabaudiae Ducem controversiis prædicti Legati consentiunt, & conveniunt, ut illæ ad Pontificis Clementis VIII. arbitrium deferantur, ac per eum componantur, & decidentur intra annum a die pactionis



Sæcul. XVI.  
A.C.1598.

pactionis, juxta regium rescriptum pridie nonas Junii ea de re datum. X. Dux Sabaudiaë cum suis Provinciis, civitatibus, & subditis neutrarum partium Princeps fit, Regis tamen utriusque amicus. XI. Similiter ex pacto, & consensu communi in hac pactione, si visum ipsis fuerit, comprehendantur summus Pontifex. & sancta Sedes Apostolica, Romanorum Imperator, Ordines Imperii, S. R. I, Electores &c. XII. Includantur etiam in præfatis concordiaë pactis universi, qui communi Regum consensu nominatim inferentur: si modo post semestrem a die pacis promulgatæ nomina sua per literas profiteantur, & consuetas hoc casu obligationes tradant.

Ceterum in hisce articulis nulla de Anglis, & Batavis mentio facta est, eoquod hi in hoc fœdere comprehendere renuerent: nihilominus eadem pax die septima Junii in Belgio, ac duodecima ejusdem mensis Lutetiaë Parisiorum cum ingenti omnium lætitia fuit promulgata, ubi etiam vigesima prima Junii die in Ecclesia Cathedrali a Cardinali Legato sacrum solemne celebrabatur, & recitatis a Villa-Regio articulis ipsemet Rex in manibus ejusdem Cardinalis præsentibus Archiducis Oratoribus jurejurando se obstringebat, quod hæc pacta integra fide servare velit. Eadem

*Hist. Eccles. Tom. LII.*

X dem



Sæcul. XVI. dem quoque promulgatio Bruxellis Alberti Archiducis jussu die vigesima quarta Junii adstantibus Bironio Marefchallo Belleverio, & Silerio Franciæ Regi oratoribus facta est. Denique Philippus Hispaniæ Rex duodecima Julii, Sabaudia Dux die secunda Augusti his pactis subscribere: postea vero Cardinalis Medicæus Papæ Legatus rebus adeo feliciter, prudenterque gestis plenus meritis, ac laudibus in Italiam reversus est.

## §. XXII.

*Pax inter Franciæ Regem, & Florentiæ Ducem conclusa.*

*Daniel Hist. de France to. 10. p. 231.*

Jam post Henrici II. obitum Ferdinandus Magnus Etruriæ Dux a Balleto Sphixæ Insulæ, urbisque Gubernatore sollicitabatur, ut tam contra Hispanos, quam hæreticos suppetias mittere, ac præfatam insulam pro futuro Franciæ Rege tueri, atque asservare vellet, verum Dux Gallicos tumultus in rem suam versurus, hunc locum unacum Pomeguana arce sibi vendicabat, captisque repentina vi quibusdam urbibus in Provincia adversus Henricum IV. clandestina fovebat consilia, quapropter Rex Ducem iterato ad harum urbium restitutionem sollicitabat: cum vero vicissim Dux pecunias Regi mutuodatas re-



peteret, atque Henricus tum solven- *Sæcul. XVI.*  
 do impar esset, hinc ad componen- *A.C.1598.*  
 dum hoc dissidium Florentias Arnaldum *Lettr.*  
 Ossatum, qui apud Franciæ Regem au- *d' Ossat. l'an.*  
 thoritate, & gratia plurimum valebat, *1598.*  
 decernere statuit, dato eidem negotio,  
 ut cum Florentiæ Duce, cui Rex multis  
 titulis obstrictus erat, cum omni man-  
 fuetudine, ac lenitate ageret. cunctaque  
 declinaret, quibus Ducem ad acerbio-  
 ra commovendum, pertimescere posset:  
 si vero hic, usque dum pecuniæ mutuo  
 datæ numerarentur, præsatam Insulam  
 retinere pertinacius peteret, id nullate-  
 nus tolerandum significaret, eo quod Rex  
 gratitudinis officium summo regni, suæ-  
 que auctoritatis præjudicio redimere  
 minime intendat: cum vero Henricus  
 hoc dissidio tumultus nondum penitus  
 extinctos resuscitari vereretur, remque  
 occulte agi cuperet, hinc Ossatus ad  
 componendam hanc litem itineris, quod  
 unacum Pontifice Ferrariam eunte su-  
 sceperat, occasione uti statuit, ac Flo-  
 rentiam delatus Magno Etruriæ Duci  
 Regis animum omni sinceritate pande-  
 bat, postulans, ut Dux omnes suas co-  
 pias a Marsiliæ insulis avocaret: verum  
 Ossatus id ægre admodum, & non nisi  
 ea lege impetrabat, ut Rex mutuatæ  
 pecuniæ debitorem sese profiteretur, ac  
 quotannis quinquaginta aureorum mil-  
 lia



Sæcul. XVI. lia in solutionem numeraret, simulque  
 A. C. 1598. duodecim viros ad Ducis arbitrium nominandos tanquam fidejussores daret hæc equidem conditio Franciæ Regi permolesta accidit, omnem tamen angorem depulit generosus Ducis animus hic enim Ossato, dum initæ concordiæ pacta a Rege confirmata deferebat ultro petitiæ cautionis articulum revocabat. Hac igitur pace die prima Maii seu pridie ante Vervinense foedus conclusa Galliarum Rex non sine magno Reipublicæ Catholicæ emolumento quieta regni sui possessione frui cœperat.

## §. XXIII.

*Cardinales a Clemente VIII. Papa creati.*

*Ciac. Vit.  
Pontif. tom.  
4. p. 314.*

Die tertia mensis Martii hoc anno Clementis VIII. summus Pontifex tredecim Præsules purpura decorabat quorum primi novem inter Presbyteros reliqui vero quatuor inter Diaconos cooptati fuere. Ex illis primus erat Bonifacius Bevilaqua ex antiqua juxta & illustri prosapia Ferrariæ natus, Cathedralis Ecclesiæ Ferrariensis Archidiaconus, demum intimus Gregorii XIII. Cubicularius, Patriarcha Constantinopolitanus, Presbyter Cardinalis titulo S. Hieronymi, postea S. Priscæ, & sancti Petri



Petri ad vincula. II. Bernardus de <sup>Sæcul. XVI.</sup> Sandoval Hispanus, Ginnensis primo, <sup>A.C.1598.</sup> dein Pampynolensis, ac demum Rodoricopolitanus Episcopus, Cardinalis titulo sanctæ Anastasiæ. III. Alphonfus Vicecomes natione Italus, patria Mediolanensis, Cardinalis Presbyter titulo sancti Joannis ante portam latinam, & postea titulo S. Sixti. IV. Dominicus Tuschus Ragiensis, Tiburtinus Episcopus, Cardinalis titulo sancti Petri in monte aureo, & demum S. Onuphrii. V. Arnaldus Ossatus natione Gallus Rhedonensis, Presbyter Cardinalis titulo sancti Eusebii. VI. Paulus Æmilius Zacchia Italus, Falisiorum Episcopus Cardinalis titulo sancti Marcelli. VII. Franciscus a Dietrichstein genere Bohemus, Episcopus Marcomannus, Cardinalis titulo sancti Sylvestri de Capite, & postea S. Mariæ trans Tyberim. VIII. Sylvius Antonianus natione Italus, patria Romanus, Presbyter Cardinalis titulo sancti Salvatoris in Lauro. IX. Robertus Bellarminus Hetruscus, ex Jesuita Capuanus Archiepiscopus, Presbyter Cardinalis S. Mariæ in via. Porro inter Cardinales Diaconos primus fuit Bonvisus natione Tuscus, patria Lucensis, Cardinalis Diaconus titulo Sanctorum Viti, & Modesti, qui postea Presbyter factus S. Blasii de Annulo titulum optabat.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

bat. II. Franciscus d'Escoubleau de Sourdis, natione Gallus, Burdegalenis Archiepiscopus, Cardinalis titulo SS. duodecim Apostolorum, postea sancti Marcelli, & S. Praxedis. III. Alexander de Este Ferrariensis, Cardinalis Diaconus sanctæ Mariæ in Via lata. IV. Joannes Baptista Detus Patritius Florentinus, Cardinalis Diaconus S. Adriani, postea sanctæ Mariæ in Cosmedin.

§. XXIV.

*De subsidiis contra Turcas in Comitibus Ratisbonensibus deliberatum.*

*Thuan. l. 6.*  
*Struv. hist.*  
*Germ. sect.*  
*10.*

Interea ad proximam hujus anni expeditionem adversus Turcas in Hungaria bellicus armorum apparatus toto studio urgebatur, ac præprimis Rudolphus Cæsar in Comitibus, quæ Ratisbonæ anno priori mense Decembri fuerunt inchoata, per Mathiam Fratrem suum Austriæ Archiducem, exeunte mense Februario Principes ibidem congregatos ad auxilia contra Turcas ferenda sollicitabat, eis exponens, quod hæcenus ob pecuniæ penuriam, & suppetias aut parcius, aut tardius latas bellum inausulto Marte gestum fuerit, præcipue etiam eo ex capite, quod ob stipendii defectum veterani milites sæpius exauctorari, novosque tyrones militaris disciplinæ ignaros iterato conducere oportuerat.



tuerit : ut ergo huic malo remedium **Sæcul. XVI.**  
 opponeretur, Mathias Cæsaris nomine **A.C.1598.**  
 ab Imperii Principibus postulabat, ut  
 deinceps non in paucos menses, ut antea,  
 sed saltem in quinquennium, ad alen-  
 dum exercitum subsidia conferre, &  
 quotannis viginti quinque mensium sti-  
 pendia pendere, nec non duodecim pe-  
 ditum, & quatuor Equitum millia pa-  
 rata habere vellent. Ad hanc Cæsaris  
 petitionem Imperii Ordines post aliquot  
 dierum consultationem quinquennale  
 tributum, in singulos annos pendendum,  
 præter petitas copias spondebant, de-  
 cernentes, ut interim stipendia anno  
 millesimo quingentesimo nonagesimo  
 quarto promissa, ac nondum soluta nu-  
 merarentur : denique etiam sancitum,  
 ut contra morosos executionis vis lo-  
 cum habeat, nec non auxilia ab exteris  
 etiam Principibus petantur, & monetæ  
 abusus tollantur: Verum Protestantium  
 Principum nonnulli promissi fidem vio-  
 lantes eodem adhuc anno Francofordiæ  
 conventum habebant, ibidemque, nec  
 non sequenti anno decernebant, quod  
 promissa subsidia contra Turcas minime  
 pendere velint, sed potius contra sum-  
 mum Pontificem, cujus potentiam ob  
 recuperatum Ferrariæ Ducatum magis,  
 magisque excrescere querebantur, ad  
 sectæ suæ conservationem una omnes



Sæcul. XVI. A. C. 1598. conspirare malint: inde ergo ortum traxit nova illorum unio, quæ progressu temporis totam Germaniam maximis calamitatibus involvit.

## §. XXV.

*Jaurinum a Schwarzenburgo Baro Turcis ereptum.*

*Thuan. l. c.  
Spond. hoc  
anno n. 19*

Postquam Principum Legati Ratisbona recesserant, præter omnium expectationem Pragæ nuntius venerat, significans, Jaurinensem urbem ante triennium ab Hardecco Comite Turcis traditam, & a Cæsareis anno prioribus cassum obsessam ab Adolpho Barone Schwarzenburgo Comorensi Præfecto astu captam fuisse; strenuus enim Bellidux dudum de hac urbe Turcis eripienda consilia agitans summo silentio, ac celeritate necessariis ad hanc expeditionem comparatis Comora proficiebatur, trajectoque Danubio equites suos præmiserat, qui iter explorarent, atque obvios quosque interciperent, ne ejus adventus hosti innotesceret: cumque Turcæ firmitate urbis nimium confisi negligentius eam tuerentur, Vobecurtio, & Caviaco datum est negotium, ut binas machinas evertendis portis, ac mænibus aptas clam admoveo curarent: insuper ad hujus propositi executionem in bellico Senatu decernebatur.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

tur, ut perfractis portis milites in urbem irrumperent, ac platearum vias intercluderent: Hungaricus vero peditatus ad vallum, portamque, quæ Albam-Regalem ducit, properaret: præprijis severe interdicebatur, nequis ante urbem penitus occupatam ad prædandum diverteret. His ita sancitis Schwarzenburgus cum potissima exercitus sui parte propius accedebat; Pal-fius vero cum levis armaturæ equitibus circumcursitabat, præpediturus, ne ulibi hostis catervatim sese colligeret: postea primo diluculo quinque Hussari-turcicæ linguæ periti ad urbis mœnia accedentes ajebant, se literas ad Buden-sis Agæ sponsam deferre, ipsisque injun-ctum esse, ut eo tempore, quò annona a Præfecto urbi inferretur, ipsi hanc spon-sam ad suum Maritum deducerent: cum autem Christiani huc, illucque sparsi annonæ insidiarentur, pontem ante lu-cem dimittere consultum foret: his di-ctis Turcæ fidem adhibent, pontemque sine doli suspitione demittunt, atque ipso cœlo Christianis favente tam densæ nubes, ventorumque turbines exoriun-tur, ut hostibus oculorum usum adime-rent: hac igitur temporis iniquitate in rem versa, perfractisque clatris per por-tam vi apertam Schwarzenburgus cum quater mille quingentis toto impetu in

X 5 urbem

Handwritten marginal notes in a cursive script, likely a library or archival stamp, partially obscured by the binding.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.  
urbem irruit: verum Turcis undique ad arma concurrentibus diuturnum non minus, quam atrox, utrinque certamen commissum est: cæso tamen ipso Turcarum Præfecto, ejusque capite hastæ affixo circiter trecenti Janisari, qui ex clade sese collegerunt, ad munimentum, in quo pulvis pyrius asservabatur, sese recipiebant, quos Christiani confestim insequiebantur, improvido tamen consilio, pulvere enim ignem concipiente, quo casu ignoratur, potissimi unacum Turcis in aera raptabantur: cum autem hostis resistendo impar esset, die vigesima nona Martii Schwarzenburgus spatio duodecim horarum urbe potitus prædam victoribus distribuit, urbemque restauratis ruinis decem præsidiariorum milibus munivit, ablegatis ad Cæsarem Palatio, & Vobecurtio, qui reportatæ victoriæ nuntium deferebant. Hæc ipsa tam fausta dies quotannis festiva tormentorum explosione, aliisque lætitiæ signis Jaurini gratissime recolitur.

§. XXVI.

*Vario Marte in Hungaria  
pugnatum.*

*Ishuanfius*  
*l. 31. p. 742.*  
*Kevenhiller*  
*to. 5. p. 1926.*

Postmodum die decima septima Aprilis Sigethensis Bassa cum exiguo prædatorum agmine prope Baboscam obequitans in trecentos incidit præsi-



Sæcul.XVI.  
A.C.1598.

diarios, quos fugam simulans in structas infidias inducebat, & ferme omnes trucidabat: mox vero Schwarzenburgus in hosce grassatores erumpens, illos ad sua præsidia retrocedere compulit: insuper paulo post Hussari Pappa egressi triginta duos currus annona onustos intercepterunt, præter quadraginta equos, ipsumque Albæ Præfecti filium: nec minori etiam successu Elias Erdenrichus Tocajæ Præfectus die quinta Maji trecentos Turcas in prædam effusos profligabat, qui etiam prope Budam, & Agriam non sine magna suorum strage aufugere coacti sunt, eodemque tempore a Georgio Barbelo Tartari circa Albam Juliam cæsi fuere: vicissim vero Schwarzenburgus Albam-regalem, irrito tamen conatu, occupare tentabat, magis propitia forte apud Totim urbem usus, quam ineunte mense Augusto deditio cepit, desideratis Turcarum ducentis unacum eorum Bassa, ex Cæsareis vero nonnisi circiter quadraginta cæsis: postea intra octiduum Gestesia, Vasonium, Palotta, Ticonium, Vesprinum, Sambuca, aliæque arces partim vi, partim deditio in Cæsaris potestatem redactæ fuerunt: exeunte autem mense Septembri Omar Bassa cum sexaginta suorum millibus Varadinum contendit, atque ad initium mensis

sis



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

fis Octobris urbem cingere coepit, qua  
 a Redero Governatore, & Niario ince-  
 fa adversus arcem totum armorum im-  
 petum effundere statuit, ac die sexta O-  
 ctobris aqua aliorum derivata cunicu-  
 los agens a quatuor Heiducis ad omni-  
 tentanda paratis altera die inde depul-  
 sus est: die autem nona viginti quinque  
 Hungaris somno sopitis, caesisque Tur-  
 cae die duodecima Octobris rupto cuni-  
 culo, editaque ruina arcem, ac mun-  
 imentum exterius invadere moliebantur,  
 inde non sine suorum dispendio repulsi  
 nihil tamen inde territi uno impetu tres  
 cuniculos injecto igne tam felici succes-  
 su aperiunt, ut fossa muri ruderibus im-  
 pleta Turcis irrumpendi opportunita-  
 tem suppeditaret: verum omnes Bar-  
 barorum conatus infracta Caesareorum  
 virtus elusit, quapropter post oppugna-  
 tionem tribus locis frustra tentata  
 pluresque muros actis cuniculis ever-  
 sis Omar Bassa trigesimo obsidionis die ter-  
 tia Novembris discedere coactus est, de-  
 sideratis suorum tredecim millibus, ex  
 nostris vero nonnisi tribus millibus; por-  
 ro Melchior Rederus ob tam felicem  
 successum cum omnibus suis solemnes  
 Deo grates rependit, ac Victor vexillis  
 captivis, multaque præda onustus Casso-  
 viam contendit, a Maximiliano, aliisque  
 summo applausu exceptus.

§. XXVII.



§. XXVII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

*Buda a Schwarzenburgo incassum  
obsessa.*

Turcis interea Varadinum obsidentibus, Schwarzenburgus, ut hostem alio diverteret, Budam Regni Metropolitim aggredi statuit, ac die quinta Octobris sub auspiciis Mathiæ Archiducis, qui ipse in castra venerat, utrumque civitatis suburbium cum ingenti hostium clade occupavit, superatisque pluribus aliis minoris momenti propugnaculis die decima tertia Octobris obsessos ad deditiorem provocavit, quibus tamen generose respondentibus, mortem sibi ignominiosa deditiōe potioem esse, oppugnationis impetum Cæsarei redintegrabant. Attamen, quamvis inferiori urbe jamjam potiti essent, frigoribus tamen autumnalibus, ac pluviis per triginta fere dies continuis acrius, quam ab hoste, infestati sunt, hinc ea die, qua Turcæ Varadinum, hi Budam incensis suburbiis relinquere cogebantur, ferme æquato utrinque damno, ac fortitudinis honore.

*Spond. hoc  
ana. n. 19.  
Thu. l. 121.  
Ishuanfius  
l. 31. p. 732.  
Petrus Reva  
de Monarch.  
Hung. cent. 6*

§. XXVIII.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

§. XXVIII.

*Sigismundus Battorius Transylvaniæ  
Princeps suo Principatu in Maximilian  
liani Archiducis favorem  
cedens.*

*Spond. ann.*  
1596. n. 1.  
*& seq. n. 14.*  
an. 1598.  
n. 20.  
*Thuan. l. 121*  
p. 849.

Jam anno millesimo quingentesimo nonagesimo sexto Sigismundus Battorius Transylvaniæ Princeps Pragam ad Rudolphum II. Imperatorem cum splendido comitatu venerat, ut suadente Alphonso Carillo Jesuita, præsentis Nuntio Apostolico Episcopo Casertano eidem exponeret, quatenus sibi Transylvaniam commutare liceret, equod ad hujus Principatus conservationem adversus Turcam potentissimum hostem viribus impar esset: attamen prudentissimus Cæsar objecta tantæ rei difficultate illum ab hoc proposito gravissimis verbis dehortabatur: cessit equidem Battorius Rudolphi monitis, anno tamen sequenti rursus itinere Pragam facto eundem iterata sua petitione fatigabat, & quamvis denuo repulsam ferret, & ipsemet Pontificius æque, ac Hispanus Oratores illum a cœpto hoc consilio avertere niterentur, Battorius tamen precibus suis pertinacius insistens, ac privatam potius vitam imperio deposito seligere statuens declarabat, se vel

dispari,



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

dispari, & iniqua permutatione contentum fore: si vero Cæsar id permittere nollet, cum Polonis, atque cum Turcis se transacturum affirmabat: cum ergo Cæsar juvenem hunc Principem nullis rationibus a suo proposito revocari posse cerneret, aliunde vero tam nobilem Hungariæ partem vel in exterorum, aut Turcarum potestatem devolvi pertimesceret, hinc necessitate compulsus cum eo hunc in modum convenit. I. Sigismundus Rudolpho Transylvaniam, Valachiam, & Moldaviam cedat, illarum vero loco Sigismundus Oppolientem, & Ratisborientem Ducatum in Silesia obtineat unacum quinquaginta aureorum millibus. II. Si vero Sacris ille initiaretur, tantundem redditum ei ex bonis ecclesiasticis Cæsar designet, atque apud summum Pontificem pro consequenda Romana purpura operam suam impendat. Hæc eo tempore utrinque fuere transacta: postea vero hoc anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo octavo Rudolphus Cæsar Stephanum Zuhajum, Nicolaum Isthuanfium Hungariæ Vice-Palatinum, unacum Vaciensi Episcopo, & Petzio Jurisconsulto in Daciam ablegabat, qui pacta accedente Ordinum consensu firmari curarent. Igitur Battorius die sexta Aprilis Claudio-poli Proceres, ceterosque Provinciæ Magna-



Sæcul. XVI  
A. C. 1598.

Magnates convocat, ac coram Cæsare Legatis, quid inter se, & Imperatorem actum esset, exponens, illos, subditosque suos fidei juramento, quo ei hactenus obstricti erant, solvit, eosque in Cæsaris fidem jurare præcipit: his peractis Battorius, quamvis a multis Proceribus, præcipue a Michaele Valachæ Vayvoda, seu Præfecto, necnon ab altero Battorio rogaretur, ut mutata animi sententia in patria permaneret, & deinceps Christianam Rempubicam strenue tueretur, nihilominus cum exiguo comitatu, relicta uxore, & Provincia die decima septima Maji Jaurinum ad Mathiam Archiducem, inde vero Viennam, & Utratslaviam contendit, ibidem mense Junio exceptus.

§. XXIX,

*Battorius Cardinalis huic cessionis oblectatus.*

**A**beunte Sigismundo Rudolphus Cæsar pro felici hujus Provinciæ regimine necessaria stabilire sollicitus Maximilianum Archiducem Transylvaniæ Governatorem destinabat: mox vero percepto hujus cessionis nuntio Andreas Battorius Cardinalis Sigismundi Patruus in Poloniam ad Sigismundum advolat, adversus Maximilianum auxiliares copias postulaturus, utque eo facilius



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

cilius Regem ad sua vota inclinaret, exponebat, quod Maximilianus violata patrum fide Polonici Regni titulos sibi vendicaret. Subitanea hæc Cardinalis profectio, quo spectaret, Legatum Pontificium, qui tum in Cæsaris aula agebat, minime latebat, hinc ut imminens belli calamitates præverteret, ac Poloniæ Regem, regnique Proceres summo Pontifici obstringeret, Rudolpho Cæsari auctor extitit, ut Maximilianus Poloniæ Regis titulum abdicaret, sinceroque animo Polonis reconciliaretur, cum exinde sperandum esset, quod Sigismundus Rex primævo naturæ beneficio pacis studiosus facile Andream accepto consilio dimoveret, hic vero Polonorum ope destitutus a rebus in Dacia innovandis abstineret. Verum pia hæc consilia per ipsam Battorii levitatem penitus everfa fuere,

§. XXX.

*Sigismundus Battorius pœnitentia ductus, atque in Transylvaniam reversus.*

Vix Sigismundus per aliquot dies in Silesia morabatur, cum illico prætermæstam amplissimi imperii temere relictæ recordationem pristinæ potentæ defideria, ac præsentis conditionis tædia

Thu. l. 122.

Hist. Eccles. Tom. LII.

X ipsius



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

ipſius animum pugnante phantaſmatum  
 viciffitudine obruerent, quibus ille de  
 victus aſſumptis nonniſi duobus itinere  
 comitibus Monachi habitum indutus  
 menſe Auguſto e Sileſia profugit, datus  
 que ad Cæſarem literis die vigefima ſe-  
 cunda ejuſdem menſis ſibi conditiones  
 & pacta non fuiſſe ſervata, perpetuum  
 queſtus eſt, & nequidem expectato Rudol-  
 phi reſponſo per devia, & in via prætero-  
 mnem expectationem Clauſenburgum  
 ſeu Claudiopolim Daciæ Metropolim  
 pervenit, moxque civibus in fidem re-  
 ceptis in omnes Provinciæ partes ſuos  
 Delegatos decrevit, qui cunctos de ad-  
 ventu ſuo certiores redderent. Redire  
 re in obſequium ejuſ Procerum non  
 pauci, inter milites tamen Saxones  
 fide Cæſari obſtricta abſque ipſius con-  
 ſenſu deficere noluerunt: quocirca Le-  
 gatio ad Rudolphum decernitur, cui ob-  
 eundæ Demetrius Napragius Cance-  
 larius, Athenſis Epifcopus, & Stephe-  
 nus Potſkajus Sigismundi Avunculus  
 deſtinabantur, qui apud Cæſarem Sigis-  
 mundi reditum excuſarent, ſimulque  
 unicum Provinciæ Ordinum votum eſſe  
 teſtarentur, ut eo annuente pax in Pro-  
 vincia, necnon Batthoreorum nomen  
 cum pace conſervaretur: interea Sigis-  
 mundus Albam-Juliam perveniens  
 cum Andrea Cardinali Patruo ſuo ex  
 Polo



Polonia reverso in gratiam reversus est, necnon Diariam Christiernam uxorem suam denuo recepit, quam tamen paulo post eadem levitate repudiabat,

Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

§. XXXI.

*Clemens VIII. Papa Ferrariam profectus.*

Sub idem tempus Clemens VIII. Ferrariam beneficiario jure Romanæ Ecclesiæ semper obnoxiam, ac nuper recuperatam petere, simulque alias ditiones ecclesiasticas lustrare statuit, quocirca prius pro tranquillo Romanæ urbis regimine salutaria condebat statuta, ac præprimis Inicum, seu Ignatium Avalos de Arragonia Neapolitanum Cardinalem, Episcopum Portuensem tanquam Legatum suum destinabat, ac die tertia Aprilis edito hanc in rem diplomate eidem plenam omnes etiam exemptos Curix Ministros regendi, delinquentes, & rebelles plectendi, discordias componendi, causas civiles cognoscendi, & sententias quascunque exequendi, ac certa beneficia additis quibusdam conditionibus conferendi potestatem impertiebatur, simulque alio diplomate die decima ejusdem mensis promulgato declarabat, quod Curix Ministri, qui Papam comitantur, æque ac ceteri omnibus fruerentur prærogativis:

*Spond. hoc  
ann. n. 1.*



Sæcul. XVI.  
A C. 1598

his ita dispositis Pontifex die duodecima Aprilis cum nobili Antistitu, & Clericorum comitatu, ac militari satellitio sanctissimam Evcharistiam in capite pretiosa sub aureo umbraculo, accensaque luminibus præferri curabat; hæc enim perantiqua est summorum Pontificum peregre proficiscentium consuetudo, de qua Angelus Rocca Apostolicæ Sacrarii Præfectus eruditum edidit commentarium. Demum altera die Clemens sacro in Vaticana Basilica ad Altarem Divi Petri, & Pauli peracto verba illa Itinerarii pronuntiabat: *In viam paravis &c.* statimque iter suum exorsus die vigesima quarta ejusdem mensis Laurentinum venit, ubi Beatissimæ Virginis sedes religiose visitans, ac sæpius ibidem rem divinam peragens, sacram omnem, qua utebatur, suppellectilem una cum mille aureis dono reliquit: inde die vigesima septima Anconam ad mare Adriaticum delatus die Christo ad caelos ascendenti sacra cum quindecim Cardinalibus sacro solemni interfuit, a Nobili Justiniano Equite Veneto tribus Reipublicæ triremibus perhonorifice exceptus: postea terrestri itinere die septima Maji ad sancti Georgii Cænobium Olivetani Ordinis, Ferrariæ finitimum pervenit, sequenti autem die comitantibus eum viginti septem Cardinalibus Ferrar



Ferrariam solemnī pompa ingressus est, cui adventanti Ferrariensium Sapientium Judex obviam processit, urbisque clavel debito obsequio porrexit, Magistratus vero, omnisque populus ubique festiva maximæ lætitiæ signa edidit: reliquo autem tempore Pontifex rebus disponendis, nec non excipiendis Principum Legatis, atque insignibus pietatis, liberalitatis, omniumque virtutum exercitiis intentus usque ad finem Novembris ibidem substitit,

Sæcul. XVI.  
A. C. 1598.

§. XXXII.

*Hæretici in Suecia legitimi Regis sui imperium excutientes.*

Fervebant adhuc in Sueciæ Regno se-  
ditiosa hæreticorum molimina ad-  
versus Sigismundum Regem suum, qui iterato itinere Lascum e Polonia ad  
Carolum regiæ auctoritatis usurpato-  
rem ablegabat, eo autem reverso plene  
edoctus erat, quod obfirmata hæretico-  
rum pertinacia id unice ageretur, ut sub  
Sudercopiensis decreti obtentu regia po-  
testas everteretur, ac Caroli auctoritate  
stabilita fides Catholica a regno peni-  
tus eliminaretur. Percepto Suecorum  
consilio Poloni Proceres in Varsoviensibus comitiis congregati Sigismundo  
Regi auctores extitere, ut unacum classe  
ad regnum suum contenderet. Igitur

Thuan. l. 122  
Spond. hoc  
anno n. 21.  
Chytr. in  
Sax.

Y 3

Rex



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

Rex facto itinere ad Calmariam maritimum Sueciæ oppidum adpellit, multaque urbes incruenta victoria in potestatem suam redigit, mox vero Carolus ejus Patruus in Lincopiensi agro Regi cum exercitu occurrit, pacis desiderium simulans, re tamen ipsa, ut res suas tum adhuc confusas instruendi spectum hac fraude nancisceretur, idem etiam Legatos ad Regem bina vice decernebat, significantes, quod si pacis studiosus regnum ingredi vellet, ipsemet ei præsto foret, illumque rogaret, ut a christianorum, & subditorum sanguine fundendo abstineret: verum Rex hæreticorum promissis haud fidendum crebra experientia edoctus, Legatos re infecta dimisit: interea Hungaros inter, & Suecos insciis Belliducibus cre exortum est certamen, tanta Hungarorum virtute, ut nisi a Sigismundo revocati fuissent, hostilem exercitum penitus profligassent: cum vero immeritatius in mortuorum cadavera deservirent, multi etiam antea Regi addicti ab eo defecerant, unde Carolus animosior factus protervia suæ hæresis digna adversus legitimum Regem suum novas copias contraxit, ac iterato prælio illum profligavit, quocirca hic terra, marique adversam expertus fortunam potius Regno suo excedere, quam illud



illud probrosis conditionibus redimere **Sæcul. XVI.**  
 maluit, hinc Caroli insidias veritus Dan- **A.C.1598.**  
 tiscum recessit, inde in Poloniam rever-  
 sus. Tum Carolus plena libertate re-  
 gnium usurpans nonnullos Proceres Re-  
 gi addictos extremo supplicio affecit, ha-  
 bitisque Jenocopiæ comitiis ad tantam  
 prolapsus est temeritatem, ut Regem  
 præstituto die inermem comparere ju-  
 beret: cum vero ad tantam petulan-  
 tiam Rex nihil responderet, Carolus  
 mense Julio Stocholmiæ rursus coactis  
 Regni comitiis, ut populos in concita-  
 ta rebellione firmaret, dolosum promul-  
 gabat edictum, quo exponebat, quod  
 de vitæ suæ securitate sibi sat cautum  
 non esset, cum Papæ, aliorumque Apo-  
 statarum (scilicet Sigismundi Regis Ca-  
 tholici) insidiis expositus foret, proin-  
 potentius auxilium sibi præstari rogaret,  
 si diutius hanc curarum, & laborum  
 molem pro salute publica, seu verius  
 pro hæresis defensione, & catholicæ fi-  
 dei exterminio sustinere cogeretur:  
 cum autem Proceres eodem veneno, ac  
 dolosis consiliis imbuti essent, facile Ca-  
 roli votis annuerunt, ac publico decreto  
 Regnum Sigismundo abrogantes, om-  
 nem ei deinceps fidem, atque obse-  
 quium esse denegandum declarabant ad-  
 dentes, quod Uladislauum quinquennem  
 ejus filium admittere parati essent, si  
 Y 4 intra



Sæcul. XVI  
A. C. 1598.

intra semestre in Regnum veniret, ut in Suecorum secta, patriisque legibus educari posset: Ita nempe hæretici summos Pontifices, siqui eorum subditos ob obedientia Principum ob gravissimas causas solvunt, diris devovent, ipsi vero duntaxat in fidei Catholicæ odium legitimos suos Reges jurato subditorum obsequio etiam per edicta private non dubitant. Ceterum Carolus summorum potitus nonnisi Gubernatoris, & Sudermannæ titulo uti voluit, Regem tamen nomen anno Christi millesimo sexcentesimo quarto palam sibi arrogabat.

§. XXXIII.

*Guilielmus Rosa Sylvanectensis Episcopus  
scopus severius castigatus.*

*Thu. l. 120.  
p. 826  
Daniel hist.  
de France  
p. 235.*

Extincta in Galliis sacra, ut vocabantur, unione regii Senatores, ut Henrico IV. magis complacerent, majori, quam par erat, severitate in residuos hujus fœderis Viros desævire cœperant, causam regni tranquillitate nondum satis stabilita omnem factionis radicem esse excindendam, præcipue vero curandum, ut temerarii, & seditiosi sermones, ac libri præpedirentur, eorumque Authores debito plesterentur supplicio. hoc obtentu Parisiensis Senatus in Guilielmum Rosam Sylvanectensem Episcopum



pum olim sacro fœderi addictum extre-  
mam exercebat severitatem, duntaxat  
eo ex capite, quod a nonnullis insimu-  
laretur, perinde ac si gloriatus fuisset,  
quod ceteris prior huic factioni nomen  
dedisset, nunc vero, si eadem temporis  
vicissitudines recurrerent, se rursus ei-  
dem accessurum dixisset: insuper alii  
huic Prælato crimini dabant, quod li-  
brum, cui titulus: *Catholica expostulatio*,  
a quodam Caussidico nomine Ludovi-  
co Aureliano divulgatum deprædicarit,  
notisque in margine adscriptis ediderit.  
Adhæc accusationum capita Episco-  
pus die quinta Septembris in majori Pa-  
latii aula coram Septemviris, ac Senatu  
capite nudus, ac stans declarare jube-  
batur, quod temere, & inconsiderate de  
hac factione locutus præfatum librum  
detestetur, præterea centum aureos  
in captivorum sustentationem erogan-  
dos multæ nomine penderet, totoque  
hoc tempore Sylvanectum non accede-  
ret, nec conciones ad populum habe-  
ret: cum autem Episcopus huic Sena-  
tus-Consulto sese subicere cunctaretur,  
illud majori adhuc severitate executioni  
datum est; cum enim Rosa pridie Epi-  
scopali veste coram Judicibus compare-  
ret, a triumviris monebatur, ut sacri Or-  
dinis sui insignia ipse deponeret: cum  
autem id recusaret, in Senatum raptus

Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.



Sæcul. XVI. A. C. 1598. tus revocationis suæ formulam in Senatusconsulto comprehensam ignominiose recitare cogebatur.

## §. XXXIV.

*Cleri Gallicani comitia Parisiis celebrata.**Daniel l. c.**p. 235.**Thu. l. c. 120**p. 827.*

**M**ense Augusto Clerus Gallicanus permittente Rege comitia Parisiis celebrabat, in quibus totius Ordinis nomine Franciscus Gueslæus Turonensis Archiepiscopus deploratum Ecclesie Gallicanæ statum, necnon corruptos & neglectam religionem mores, & disciplinam amare deplorans hæc a Rege postulabat. I. Sacri Concilii Tridentini decreta promulgentur, iis exceptis, quæ Ecclesie Gallicanæ libertatibus, & Curie immunitatibus, aut privilegiis adversari videntur. II. Rex Episcopatum, aliorumque beneficiorum nominationibus conscientiam suam haud amplius gravet, nec pensiones ex bonis ecclesiasticis conferat Laicis, concessa vero revocet. III. Bonis ecclesiasticis nova onera non imponat. IV. Loca sacra in profanos usus converti non permittat, & gratias pro beneficiis proxime vacaturis revocet. V. Pacta cum Rege a Clero inita servantur. Verum ad hæc Rex vagis verbis respondit quod disciplinam ecclesiasticam in Regno



gno restaurari vehementer desideret, in hoc tamen negotio pedetentim, non autem præcipiti procedendum consilio: de cetero ipsos hortetur, ut officii sui memores populum ad pietatem exemplo suo incitent, hocque pacto, si & ipsi ad sinceram Regis voluntatem suo opere concurrere voluerint, brevi reformationis negotium confectum foret: Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

*Equidem, subjunxit Rex, hucusque non nisi vanis verborum ambagibus, ac speciosis promissis vos lactavi, nunc vero operum meorum fructus addam: deinceps experiemini, quod & si exterius gestem poliololum pulvere sordidum, interius tamen totus aureus sim.* Verum observat quidam recens Historicus, nihil solemnius fuisse Henrico Regi, quam quod semper factorum loco benevola verba, amplaque promissa suis daret: enimvero Clerus a Rege haud amplius, quam vanam spem, reportabat, etsi ex Senatus sui consilio ad singula postulata responsum iri spondisset. Abregé chronolog. de l'histoire Eccl. tom 3. a l'ann. 1598

§. XXXV.

*Revocatio Parisiensis Decreti contra Jesuitas editi.*

Ex hoc ipso Gallicano Conventu Parisiensi tres Jesuitæ, contra quos Parisiensis Senatus severius agebat, libellum Regi porrigendi occasionem arripiebant Thuan. l. c.  
Spond. hoc ann. n. 7.  
Offat. ep. 119  
132. 152. 153



Sæcul. XVI.  
A. C. 1598. bant supplices, ut præprimis Tolosæ, & Burdigalæ ulterius persistere, suisque bonis frui, ac juventuti erudiendæ operam impendere permetterentur: oblitere quidem acriter Aulicorum nominum, quos inter præcipuus erat Civerius Cancellarius, cum autem Principes, & Proceres assiduis precibus, ac commendationibus in Jesuitarum favorem omnino ex parte conquisitis continuo Regem sollicitarent, Parisiensis Decreti executio interim differebatur: sub idem vero tempus Triumviri in Senatu edictum contra Ludovicum Justum Turnonium Arvernorum Prætorem, qui, ut supra memoravimus, Parisiense Decretum adversus Jesuitas exequi recusabat, effectum dari instabant, quocirca Senatus die decima octava Augusti interposita sua auctoritate Turnonii bona ærario Regio ad dicta, eum vero sua Præfectura spoliatum pronuntiavit, simulque nequis filios suos ad Jesuitarum Scholas mitteret, inhibuit, & si nunc apud Jesuitas literis operam darent, illos omnibus juribus, prærogativis, aliarumque Universitatum privilegiis indignos declaravit. Ea res haud parum offendebat Arnaldum Oflatum Cardinalem, qui datus ad Villaregium litteris innovatum hoc decretum Regis famæ, ejusque rebus nondum sat pacatis grave præjudicium



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

cium afferre, gravissimis rationum mo-  
 mentis demonstrabat, eaque de re ad  
 Clementem VIII. Papam mox Episco-  
 pum Atriensem se ablegaturum signifi-  
 cabat: nec minus Jesuitæ Laurentium  
 Mogium suæ Societatis Sacerdotem Ro-  
 mam decernebant, cui etiam idem Ossa-  
 tus publicæ securitatis literas procura-  
 bat: insuper quam primum novum hoc  
 Senatus consultum Turnonio innotue-  
 rat, mox Tolosanum Senatus instante Oc-  
 cidaniæ Syndico die vigesima tertia Se-  
 ptembris edictum penitus oppositum  
 promulgabat, tam Turnonio, quam Ma-  
 gistratibus inhibens, ne quovis pacto  
 Jesuitas, eorumque Discipulos in suis  
 Scholæ exercitationibus, aut bonorum  
 possessione impedirent, indicta decem  
 millium aureorum multa: equidem ur-  
 gente Civernio Rex hac inter se pugnan-  
 tium decretorum concertatione offensus,  
 Tolosanum revocare, & Parisiense edi-  
 ctum observare voluit: verum a qui-  
 busdam Aulicis præpeditus, usitata in-  
 ter Gallos procrastinandi solertia hujus  
 rei executionem elusit.

§. XXXVI.

*Medicæi Cardinalis Legati discessus ex  
 Francia.*

Postquam Alexander Medicæus Car-  
 dinalis Papæ Legatus per biennium  
 in

Thuan. l. c.  
Ciacon. to. 4.  
p. 73.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

in Galliis moratus multa ad Ecclesie gloriam, regnique quietem feliciter perfecerat, ab Henrico Rege in Italiam revertendi facultatem petebat, quem ipse met Rex in ejus ædibus officiose salutans profitebatur, quod pacem, qua nunc frueretur, post Deum summi Pontificis & hujus Cardinalis solertiae deberet, diu tamen hac tranquillitate frui haud posset, nisi prolem masculam regni hæredem suscepturus esset, quam cum ex sua Conjuge sperare haud valeret, Legatus apud Papam solerter instaret, ut ejus connubium solveretur: his diebus Rex studiose sermonem ad Gabrielem Estræam detorquens, se ab hac puella tenerrimo affectu diligi declarabat: Verum prudentissimus juxta, ac piissimus Cardinalis, qui ex in majus, quam ipso bello, periculum Regno impendere probe prospexerat, hoc Regis consilium exhorrescens paucis hæc respondit:  
„Mihi satis, superque est, quod in pace  
„sancienda summi Pontificis, regiaeque  
„suae Majestatis desiderio satisfecerim:  
„cum ergo aliud legationis meae mandatum  
„datum mihi impositum non fuerit, id  
„unum superest, ut Romam ad Pontificem  
„reverti properans, ei legationis  
„meae rationem reddam: id ut mihi  
„cum bona Majestatis vestrae venia liceat,  
„ceat, impense efflagito.” Soluta hoc collo-



colloquio Legatus solerter Proceres monuit, ut Regem a proposito tam pudendo, ac regni salutis tantopere pernicioso avertere curarent. Tandem Cardinalis arrepto itinere in Italiam reversus, Ferrariam, ubi tum Clemens VIII. agebat, contendit, ubi etiam Cardinalibus eidem obviam procedentibus ad publicum Senatum delatus a summo Pontifice benignissime excipiebatur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

§. XXXVII.

*Henrici Franciæ Regis consilium de dissolvendo suo connubio.*

Quamvis Henricus Rex a suo proposito, quo jam ab anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo suum cum Margarita Valesia connubium dissolvi desiderabat, Cardinalem Medicæum valde alienum expertus esset, eo tamen e Galliis discedente post Lucemburgi Ducis discessum mox Sillerium, quem studiose antea colloquio cum Cardinali habito interesse voluit, Romam Franciæ Legatum decrevit, dato eidem negotio, ut de dissolvendo hoc Matrimonio ageret, hac tamen in re Cardinalis Medicæi opera minime uteretur, eidem tamen persuaderet, quod Rex propositum nuper in secreto illo colloquio manifestatum immutasset: cum autem tum Pontifex adhuc Ferrariæ hæreret, non nisi

Daniel a  
an. 1599. p.  
243.  
Thu. l. 120.  
p. 828.  
Letter. du  
Plessis 14.  
April. 1592.  
Letter d' Of-  
sat l'an. 1599



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

nisi eo Romam reverso Sillerius iter instituit, quo ibidem adventante Henrico Rex ad Ducem, Senatūque Venetum præprimis Jacobum Augustum Thuanum mittere decreverat, cum autem extricandas Nannetensis edicti difficultates ejus opera indigeret, Antonium Sequierum Præsidentem Parisiensem Venetias ablegabat, Romæ vero Cardinalem Ossatum, qui jam antea Franciæ res ibidem procuraverat, ad promovendam divortii sui causam impense sollicitabat. Attamen totum hoc negotium vix non penitus dissipatum credebatur; Rex enim paulo post derepente violenta feбри correptus per integrum biduum nullam vitæ spem reliquam fecerat, quamprimum tamen ex eo motu convaluit, rem urgere cœpit.

§. XXXVIII.

*Philippi II. Hispaniarum Regis obitus.*

*Thuan. l. c.  
Gallut. de  
bello Belg.  
l. 10.*

Hic idem mensis September, qui olim Caroli V. postremus erat, pariter Philippo II. ejus Filio Hispaniarum Regi exitialis fuit; postquam enim Albertus Austriæ Archidux Isabellam Claram Eugeniam ejusdem Hispaniæ Regis Filiam facta a summo Pontifice legis gratia sibi desponsaverat, ac Belgii administrationem Andreæ Cardinali Austriaco Ferdinando Archiduci



Archiducis Filio reliquerat, deposita  
 Purpura sacra die decima quarta Se-  
 ptembris iter Hispaniam versus per Ger-  
 maniam suscipere paravit, ut Græcio  
 in Styria Margaritam Austriacam Spon-  
 sam Philippo III. Philippi Regis Filio  
 destinatam secum duceret: porro Wir-  
 tenbergam delatus luctuosum de præ-  
 fati Philippi obitu nuntium accepit: hic  
 enim annum jam alterum doloribus,  
 variisque ulceribus cruciabatur, cum  
 vero se jam morti proximum intelligen-  
 ret, die trigesima prima Maji dissuaden-  
 tibus licet Medicis ad sancti Laurentii  
 Conventum Ordinis Hieronymitani pro-  
 pe Escuriacum, ut ad mortem sancte  
 obeundam sese utilius instrueret, defer-  
 ri voluit, atque a Didaco de Yepes ejus-  
 dem Ordinis Religioso de summo vitæ  
 periculo admonitus conscientiam suam  
 ab omnibus noxis toto vitæ tempore  
 contractis in sacro tribunali expiabat,  
 variisque pietatis exercitiis ad æterni-  
 tatis iter feliciter peragendum sese ac-  
 cingebat. Demum Caroli V. Patris sui  
 sepulcrum aperiri, & loculi magnitudi-  
 nem dimetiri, tandem vero simile fe-  
 retrum sibi construi, atque in suum con-  
 spectum afferri iussit, ut regis dignita-  
 tis amplitudinem tandem duorum pal-  
 morum loculo concludi contempleretur:  
 ejus autem vita magis ad mortem

Sæcul.XVI.  
 A.C.1598.

*Turrian.*  
*de felici ex-*  
*cessu Philip-*  
*pi II.*

*Hist. Eccles., Tom. LII.*

Z pro-



**Sæcul. XVI.** properante Garfiam Loailam Filii  
**A.C. 1598.** Moderatorem, Toletanum Archiepiscopum, nec non Camillum Cajetanum Patriarcham Alexandrinum Pontificis Moderatorem die decima sexta Augusti accessit, ubi ab isto, atque a summo Pontifice omnium criminum veniam, & Apostolicam benedictionem exposcens, Sacris Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis communiri petiit, quæ etiam cum summa pietatis significatione recepit, palam testatus, præter hanc sibi nullam lætorem horam vitæ universæ spatio effluxisse: demum ad Philippum Filium suum conversus: *Aspice fili, inquiebat, quo demum humana omnia vergant. Hæc illa recidunt tanta ambitione quæsitæ, et custodita laboribus, animique periculis imperia, ac diademata, quo me vides ex illo in Regnorum fastigio delapsus & ipse deiciaris aliquando: hinc id tibi curæ sit unice talis ut vivas, qualis optes a morte deprehendi. Tria præ ceteris tibi, Nate, super magni hæreditatem imperii lego, enixè commendo, Christianæ, Catholicæque Fidei adversus sectas omnes indefessam defensionem, Romanæ, atque Apostolicæ Sedis reverentiam, ac venerationem, justitiam in subditos populos nullo tempore violandam. Hæc elocutus postea Isabellam Filiam suam unice dilectam ita alloquebatur: *Visum Leo non fuit, ut, quod in votis perpetuo habuer-**



Sæcnl. XVI.  
A.C. 1598.

habueram, te ante matrimonio junctam vi-  
derem, quam e vivis excederem: rogo ta-  
men, ut qualem vitam apud me ad eam usque  
diem traduxisti, a me dissociata continues in  
posterum: curam imprimis omnem impende,  
ut in Belgicis Provinciis, quas tibi in dotem  
reliqui, catholica fides augeatur; hic enim  
consilii mei finis erat præcipuus: spero au-  
tem, te minime neglecturam, quod amantis-  
simus Pater a te postremo discedens tam im-  
pense rogat: idem studium Alberto Conju-  
gi tuo, cum primum in ejus conspectum ve-  
neris, meo nomine plurimum commendes ve-  
lim. His dictis Filix suæ maximi pre-  
tium adamantem, quem ab Elisabetha u-  
xore sua receperat, consentiente Filio  
donabat, mox vero Mondejaræ Marchio-  
nem, Antonium Peresium, nec non  
ob furtivum fericidium captos liberari  
præcepit, damnatis vero ad mortem vi-  
tæ veniam fecit: sub idem quoque tem-  
pus arculam quamdam a Ferdinando  
Toletano ad se deferri voluit, ex qua  
Christi e cruce pendentis simulacrum  
præter duo conferta e funiculis flagella  
deprompsit, ad Filium suum dicens:  
Hæc avitæ pietatis monumenta sunt, utinam  
in omnem itura posteritatem. Hanc effi-  
giem Dei Cruci affixi habens in manu Ca-  
rolus Parens meus, animam tradidit in e-  
jusdem manus. Cum eadem ego tam bono  
Duce ex hac vita discedam, tuque in hoc

Z 2

etiam



Sæcul. XVI. *etiam Majorum tuorum insiste vestigiis. P*  
A.C. 1598. *gella, quæ vides, Et forte pro tenera atque*  
*horres, insignia sunt imperii, quod Av*  
*idem tuus in suum corpus exercebat. Sa*  
*guis, quo perfusum eorum alterum est, eju*  
*dem est. Venerare memoriam, imitare p*  
*tatem. His prolatis præfatam Christi*  
*Cruci affixi imaginem, in cujus amplexu*  
*Carolus ejus Parens ante quadraginta*  
*annos eodem mense expiraverat, sæpius*  
*religiose deosculatus hæc verba pronun-*  
*tiabat: Equidem ut vir Catholicus in fide,*  
*atque obedientia sanctæ Romanæ Ecclesie*  
*morior: dein duabus ante obitum horis tam*  
*vehemens animi deliquium patiebatur, ut jam*  
*jam vivis excessisse crederetur, paulo post*  
*men linquentem animam revocans, fixos*  
*in cælum oculos aliquamdiu tenebat, demum*  
*vero die decima tertia Septembris, quæ in*  
*Dominicam incidere eadem, qua semper vixerat,*  
*tranquillitate, animique constantia felicem*  
*animam Deo reddidit, postquam ultra ætatis*  
*sue septuagesimum primum vixerat, ac*  
*quadraginta ferme tribus annis Hispaniæ*  
*Regnum moderatus fuerat. Sepultus est in*  
*Ecclesia sancti Laurentii juxta altare prope*  
*tumulum Annæ postremæ uxoris sue, prout*  
*ipsemet testamento caverat.*



## §. XXXIX.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.*Ejusdem Regis prærogativæ.*

Ceterum hic Princeps erat tot animi, corporisque dotibus exornatus, ut posteris tanquam numeris omnibus absoluta regendi norma proponi mereatur; sublimi enim, ac sagaci ingenio præditus, passim Philippus prudens nominabatur, ad quietem quidem primæva naturæ propensione magis, quam ad arma proclivis, semper tamen in otio negotiû appetens, nec non in rebus gerendis adeo accuratus, atque indefessus, ut totum regiminis sui tempus gravissimis regnorum curis impendens frequentissime cum suis Consiliariis in Senatu versaretur: fuit equidem statura brevi, sed venusta, vultuque gravi, sed jucundo, adeo, ut ad suum colloquium admissos severa oris majestate ad reverentiam incitaret, sua autem morum comitate in variis necessitatibus occurrentibus fiduciam instillaret. Eminuit insuper incredibili erga Deum, Coelitesque, ac res sacras religione, cui justitiam nullo pacto violandam conjunxit, ac propterea semper publica officia non pro favorum mensura, sed pro meritis, ac cujuscunque dignitate distribuit, nec minus se solertem in cognoscendo, quam æquum in dispensando, exhibuit: fortunæ qui-

*Gallut. l. c.*  
*Thu. & Daniel ut supra*  
*Spond. n. II.*



Sæcul XVI  
A.C 1598.

dem varietate vehementer jactabatur, nec tamen unquam ejus constantia rebus secundis nimium elevata, aut adversis labefactata est, unde ex ipsis calamitatibus tam propriis, quam alienis emolumentum captare gnarus dubitandi locum reliquit, an prosperis magis moderate usus, an vero in afflictis fortiter tolerandis magis invictus fuerit: licet enim suum imperium ad Asiam, & Africam protenderet, atque Insulas numero plurimas, & ambitu amplissimas, necnon Lusitaniæ Regnum sibi subiret, rebelles compesceret, ac Gallos duabus victoriis domaret, & communem Christiani nominis hostem apud Echindas Insulas gloriose debellaret, nihilominus in hoc solo gloriabatur, quod Religionem Catholicam propagandi, ac hæreticos reprimendi occasionem nactus fuerit: pari etiam moderatione, & equanimitate Belgii a regia ditione decepti defectionem, Goletæ, & Tunetani Regni jacturam, & præcipue inopinatam classis suæ dispersionem adeo constanter tolerabat, ut quasi per jocum diceret: *Se contra homines, non contra ventos, ac mare tam validam classem instruxisse.* Ceterum Philippus quatuor habebat conjuges, quarum primam nomine Mariam Joannis III. Lusitaniæ Regis Filiam anno Christi millesimo quingentesimo



tesimo quadragesimo quarto duxerat, at-  
 que ex ea Carolum suscepit, de cujus  
 obitu alibi mentio occurrebat, altera au-  
 tem erat Maria Angliæ Regina anno sa-  
 luti millesimo quingentesimo quinqu-  
 gesimo quarto nupta, sed brevi mor-  
 te absque liberis sublata. Tertia E-  
 lisabetha Henrici II. Regis Filia anno  
 millesimo quingentesimo sexagesimo de-  
 sponsata Isabellam, & Catharinam ei pe-  
 perit: quarta demum Anna Maximi-  
 liani Cæsaris Filia decimo post anno Re-  
 gi sociata est, ex qua præter quatuor  
 liberos solus Philippus III. hæres reli-  
 ctus est anno Domini millesimo quin-  
 gentesimo septuagesimo octavo mense  
 Junio natus,

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1598.

§. XL.

*Hispaniæ Regis Testamentum.*

Jam ante quadriennium, cum adhuc  
 Mantuæ ageret, die septima Martii  
 testamentum condidit, præceptorum  
 gravitate, sententiarum pondere, rerum-  
 que prudentia longe celeberrimum, in  
 quo non modo providi Principis, sed  
 potissimum veri Christiani partes exple-  
 bat: præprimis enim Philippum Filium  
 suum omnium Regnorum, ac ditionum  
 suarum hæredem scripsit, ita, ut tunc, si is  
 sine liberis decederet, Catharina, ejusque  
 liberi succedant, his tamen deficienti-

Thu. l. c.  
 Spond. hoc  
 ann. n. 12.

Z 4 bus



**Sæcul. XVI.** bus Maria Augusta ejus Soror, illiusque  
**A. C. 1598.** liberi ordine suo, ac deinceps illi, quæ  
 lege, & jure ad successionem vocabantur, substituti censeantur, dummodo vere Catholici sint, nec de hæresi suspecti aut infecti, excepit tamen Belgii ditiones Isabellæ in dotem assignatas, stituitque, ut quamprimum Princeps ætatis decimum quartum attigisset, stitit e Tutorum cura egressus Regnum per seipsum administraret: præprimis vero suo Filio subjectionem Romanæ Ecclesiæ debitam, fideique Catholicæ conservationem commendabat, præcipiens, ut sacræ Inquisitionis Ministros præcipuo loco haberet, quatenus eorum sollicitudine pullulantes passim sectæ eliminarentur: insuper præcepit, ut omnia regni bona, ac jura diligenter conserventur, quatenus sic hæres eo firmiter imperii amplitudinem tueri, & ad Ecclesiæ, & Religionis Catholicæ defensionem majora præsidia conferre possit: præterea statuit, ut omne æs alienum integra fide solvatur, & privatis damnatum, quod ex venationis interdicto perpetratum sunt, resarciatur: decem vero aureorum millia ad Virgines egenas, bonaque fama claras in honesto matrimonio collocandas, necnon triginta aureorum millia ad redimendos captivos Christianos ex ærario regio erogentur: ingentem etiam



tiam pecuniarum summam in eleemo-  
 fynas, & pia legata pauperibus, atque  
 Ecclesiis assignabat, data executoribus  
 venia, ut ex bonis solo non affixis, ac  
 dividendis postremæ huic voluntati sa-  
 tisfiat. Biennio post, cum ad S. Lau-  
 rentii monasterium delatus esset, die vi-  
 gesima tertia Augusti codicillum, ut vo-  
 cant, adjecit, ac priori testamento rur-  
 sus confirmato declaravit, quod si ipsum  
 prius mori contingeret, penes Albertum  
 Archiducem imperii cura esset, donec  
 ipsius Filius ad legitimam ætatem per-  
 venerit. Præterea circa Navarrici Re-  
 gni successionem scriptum relinquebat,  
 quod variis negotiis distentus hanc con-  
 troversiam diligentius discutere prohi-  
 bitus fuisset, proin ejus Filius hujus caus-  
 sæ momenta a peritis, probisque Viris  
 examinari curet, & siquid præter jus, &  
 æquum fors attentatum comperiat, da-  
 num, & jactura legitimis possessori-  
 bus compensetur. Porro ex hoc ulti-  
 mæ voluntatis testimonio luculenter pie-  
 tas simul, & æquitas magnanimi, ac  
 vere Catholici hujus Regis elucet, unde  
 flocci habendæ sunt calumniæ, ac pro-  
 pudiosæ cavillationes, quibus non pauci  
 Scriptores vel privato suæ Nationis Hi-  
 spanis infensæ æstro abrepti, vel er-  
 ga Catholicæ fidei defensores odio ac-  
 censi gloriosam, æternaque memoria di-  
 gnam

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1598.



**Sæcul. XVI.** dignam piissimi hujus Principis vitam  
**A.C. 1598.** mortemque maculare non erubescunt.

## §. XLI.

*Philippi III. literæ ad Clementem VIII. Papam.*

**Gallut. l. 10.** **Thu. p. 832.** **D**ecima quarta Septembris, seu altera post Philippi II. obitum die Philippus III. ejus Filius, regnique hæres summum Pontificem Ferrariæ agentem literas dabat, quibus illum de amantissimi Parentis sui morte certioreme debat, & omne obsequium, debitamque submissionem Sedi Apostolicæ pollicebatur, simul enixe supplicans, ut vicissim summus Pontifex illum summo mæro obrutum paterni solatii beneficio honorare vellet. Acceptis obsequiosis hinc literis mox Clemens Papa convocato Purpuratorum conventu fusius in defuncti Regis laudes excurrens in hanc sententiam perorabat; “ Tam prudentis, ac religiosi Principis excessu Ecclesia Christi magnam fecit jacturam: erat enim ille æneus pro populo Dei murus perpetuo ejusdem hostibus objectus: illius vita continua fuit pugna pro fide Catholica: Religionis tutelæ studio, cultuque pietatis nemo præter eos, qui jam immortales in cælo regnant, cum eo comparari valet: duplex tamen in mærore tam communi  
 „ nobis



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

„nobis suppeditatur solatium: alterum,  
„quod a defuncto Rege singulari cum  
„pietate peracta vita, & excepta mors,  
„æternæ felicitatis ab eodem compara-  
„tæ prope certam faciant fidem: alte-  
„rum vero, quod in tot administratione  
„Regnorum ei legitime succedens Phi-  
„lippus Filius, ad exemplum tanti Pa-  
„rentis educatus, spem omnibus det non  
„minus egregiarum virtutum, quam in-  
„gentis imperii hæres sit futurus. „ In  
hanc quoque sententiam Pontifex ad  
eundem rescripsit, ac insuper Ferrariæ  
die decima tertia Octobris solemnes pro  
Rege exequias celebrari iussit, laudes  
illius deprædicante Alexandro Burgio  
sancti Sepulcri Episcopo; porro ipse Phi-  
lippus biduo post datas hæc literas ve-  
spertino tempore ad S. Hieronymi, Isa-  
bella vero ad Discalceatarum Virginum  
Asceterium secessit, donec ad exequias  
regali pompa celebrandas cuncta rite  
parata essent: hæc autem die decima oc-  
tava Octobris inchoatæ fuerunt, præ-  
sentibus Rege, ejusque sorore, cunctis  
Præsulibus, Proceribus, Equitibus, Au-  
læ Ministris, Roderico Cardinali Hispa-  
lensi, necnon Pontificis, Cæsaris, & Se-  
natus Veneti Oratoribus, ubi defuncto  
Regi Terrones Aquilaris oratione fune-  
bri parentabat, illum præcipue com-  
mendans ob virtutem, vitæque sanctita-  
tem



**Sæcul. XVI.**  
**A.C. 1598.**

tem, quam veluti avitam, & hæreditariam in ejus familia hucusque extitisse affirmabat, cum ex Philippi prosapia octo in Sanctorum numerum relati numerarentur, scilicet SS. Arnulphus, Bertha Arnulphi Nurus, Guilielmus Aquitannix Dux, Ludovicus IX. Isabella Lusitanix Regina, Milcolumbus III. Scotiae Rex, Margarita, Mathildis Bononiensis, quibus accenseri merentur sanctus Pelagius, & Ferdinandus V. Hispanix Reges, quorum in regna successit Philippus.

§. XLII.

*Solemnes nuptiæ Regum Hispaniæ, & Belgii Principum a Papa consecratæ.*

*Thu. l. 121.*  
*Gallus. l. 11.*

Percepto Hispani Regis obitu Albertus Austriæ Archidux iter suum magis accelerabat, ac per Bavarix fines Oenipontum delatus obviam habuit Margaritam Austriacam, Philippi III. sponsam unacum Maria ejus Matre, quibuscum Tridentum profectus, in Venetæ, Mediolanensis, & Genuensis ditionis finibus perhonorifice excipiebatur; postquam vero hi Principes ad oppidum cui Bussulengo nomen, pervenerant, a Petro Cardinali Aldobrandino summi Pontificis nomine salutabantur, atque in Urbem Ferrariensem, ubi eos Papa præ-



præstolaretur, venire rogabantur, quem  
 in finem jamjam Clemens VIII, Mat-  
 thevocium Archiepiscopum præmiserat;  
 cum autem Albertus, ceterique Regii  
 Comites tertio a Ferrariensi Urbe lapi-  
 de ad quamdam Insulam venissent, a  
 Pontificia Familia lautissime habiti, die  
 decima tertia Novembris a Bandino, &  
 Blandrato Cardinalibus, ingentique  
 Præsulum Comitatu Ferrariam dedu-  
 cebantur, a toto Cardinalium Collegio,  
 cunctisque Nobilibus honorifice saluta-  
 ti: demum ad Ferrariensis olim Ducis  
 Palatium, ubi tum Pontifex residebat,  
 pervenientes a Bernardino Scoto festiva  
 oratione ingentis Austriacæ laudes con-  
 cinnata honorabantur, qua absoluta Re-  
 gina omnium prima, postea Maria ejus  
 Mater, ac demum Albertus Archidux  
 ad Pontificii pedis, & dexteræ osculum  
 admittebantur, quibus sese Papa incli-  
 nans crucis signum imposuit, felicem-  
 que gratulatus est adventum: postridie  
 ex hospitio regali pompa ornato pro-  
 deuntes a Pontifice convivio excipie-  
 bantur; die autem decima quinta No-  
 vembris, quæ erat Dominica, ac regiis  
 Nuptiis præfixa, tres hi Principes ad  
 Ecclesiam Cathedralem pervenere, ubi  
 præsentem Cardinalium Collegio, & cunctis  
 Nobilibus summus Pontifex rem divi-  
 nam peragebat, decantato autem Apo-  
 stolo

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1598.



**Sæcul. XVI.** stolorum symbolo Margaritam Reginam  
**A.C. 1598.** Farnesius, & Facchinettus Cardinales  
 ad Pontificis solium deducebant, cum  
 nec non ejus Matre, & Alberto prælectis  
 tibus Pontifex auctoritate Apostolica  
 consanguinitatis obicem sustulit, &  
 dein regio mandato publice recitata  
 Clemens Papa matrimonium inter Phi-  
 lippum III, Regem, cujus personam Al-  
 bertus sustinebat, & Margaritam Regi-  
 nam sanxerat, cunctis festive aggrati-  
 lantibus: postea Albertus Archidux per-  
 eundem Pontificem cum Isabella Hispa-  
 niarum Infante, cujus Procuratorem  
 agebat Sueffiæ Dux regius apud Pa-  
 pam Orator, connubium inibat, ac de-  
 mum omnes regii hi Principes ab  
 ipsius Pontificis manu sanctissimam Eu-  
 charistiam recipiebant, quibus etiam  
 Clemens Rosam auream donabat: reli-  
 quum vero tempus ludicris, lætisque  
 spectaculis absumebatur: die autem de-  
 cima octava Novembris regii sponsi  
 Ferraria excessere, eos Petro Aldo-  
 brandino Cardinali cum ingenti Præ-  
 sulum numero comitante: ubi conti-  
 nuato itinere Albertus Philippum Cro-  
 jum Solrei Comitem in Hispaniam ab-  
 legabat, ut Philippum III. Regem de  
 proximo Reginæ adventu, ac valetudi-  
 ne certiolem redderet, simulque ad eun-  
 dem Belgii Ordinum mandata perfer-  
 ret;



ret; iustus enim erat eidem præ aliis <sup>Sæcul. XVI.</sup> significare, quod Ordines peterent, ut A.C. 1598.  
 Isabella proxima Belgii Princeps iurato sponderet, ipsam, atque ab ea progenitos in Catholica Religione perseveraturos, si vero, quod Deus avertat, eorum aliquis a sacra fide Catholico-Romana deficeret, mox omni jure in Belgicas Provincias tanquam successione indignum excludendum.

§. XLIII.

*Petri Pan Mauritio Comiti insidiantis supplicium.*

Eodem hoc anno Petrus Pan, seu Pan-<sup>Thu. 1. 125.</sup>  
 na Ypris in Flandria natus Lugduni <sup>Alegamb.</sup>  
 Batavorum capiebatur, eoquod in eum <sup>Bibl. script.</sup>  
 suspicio caderet, perinde ac si Mauri-<sup>loc. p. 126.</sup>  
 tium Comitem Nassovium trucidare moliretur. Hic factus dicitur, quod Melchioris Vallæ Cognati sui, qui in Jesuitarum scholis Duaci viliora obibat ministeria, uxorem sollicitavit, ut Maritum suum ad patranda hanc cædem induceret, ipse vero postea inopia pressus Duacum contenderit, ibique Jesuitarum Provinciam multis elogiis illum, qui ejusmodi facinus attentaret, deprædicantem percepisset, demum vero a Scholæ Rectore ad illud perpetrandum omnino inductus accepta pecunia hunc in finem in Hollandiam secessisset, firmiter



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

ter persuasus, quod cæde illius, qui  
animas quotidie jugularet, Deo gratias  
opus perfecturus esset. At postquam  
Lugdunum pervenerat, atrocitate fac-  
toris perpensa ipsum arrepti consilii pe-  
nituit, captus tamen, ac tormentis in-  
jectus culpam suam fatebatur, quocirca  
Hollandiæ, & Frisiæ Ordinum requisi-  
tione sententia a supremo Magistratu Leyden-  
si ad mortem damnatus die vigesima se-  
cunda Junii extremo supplicio affici-  
batur. Ceterum hæc per summam calu-  
mnam a Calvinistis in Jesuitarum or-  
dinem conficta, & fanaticum hunc homi-  
nem ad has confessiones syncopantem  
astu adactum fuisse, mox sequenti me-  
se Franciscus Costerus Jesuita natione  
Belga, patria Mechliniensis multis re-  
tentionibus comprobatum reddebat, edita  
hanc in rem epistola ad Hollandiæ Or-  
dines, necnon responsione ad sententiam  
Senatus contra Petrum Pan latam.  
postea eandem hanc Costeri Apologiam  
Ægidius Schondonchus itidem Jesuita  
patria Brugensis latine reddidit, eique  
hunc titulum præfixit: Sicca Tragica  
Comiti Mauritio a Jesuitis (ut volunt  
Calvinistæ) Leydæ intentata anno mil-  
lesimo quingentesimo nonagesimo nono  
Antverpiæ typis Trognesianis edita.



§. XLIV,

Sæcul. XVI.

A.C. 1598.

*Fæderatorum Ordinum fœdus cum  
Elisabetha Angliæ Regina.*

Cum Elisabetha Angliæ Regina pacem Hispanos inter, & Gallos firmatam præpedire desperaret, Fæderatarum Provinciarum Ordinibus subdole suggererat, quod bellum unice in eorum commodum prosequeretur, hocque pacto patriæ, Religionis, & conscientiæ libertatem, quæ nupera pace in discrimen adduci videretur, tueri intenderet; porro hæc rationes adeo artificiose fallax hæc Regina exponebat, ut Ordines, quamvis ab eadem præcipue propriam utilitatem spectari subolerent, auctore tamen Mauritio arctiorem cum ea societatem inire decernerent: mox vero Regina de propensa eorum voluntate certior facta ad illos Franciscum Vereum Equitem ablegabat, qui de belli adversus communem hostem, quo nomine Catholicos indigitabat, movendi ratione cum eis ageret: vicissim hi Varmontium Joannem Burneseltium, Verkum, Hottingam, & Andream Hesselium in Angliam decernebant, qui consultationibus utrinque habitis fœdus pactis hæc conditionibus sanxerunt I. Ordines pro octingentis florenorum millibus idoneam cautionem Reginæ præ-

*Rapin. Thoiras l. 17. p. 498.  
Thun. l. 6.*

*Hist. Eccles. Tom. LII. A a stent,*



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

stent, ac præscriptis solutionum temporibus hanc summam restituant. II. Circa restitutionem urbium, quas Regina adhuc tenet, post sancitam pacem agatur. III. Regina haud ultra obstringatur subsidiarias copias Ordinibus ministrare, atque Angli, qui nunc, vel in posterum in Belgio stipendia merebuntur, Ordinum sumptibus alantur, eisque illorumque Ducibus fidem suam sacramento obstringant. IV. Hoc pacto auctoritas Anglico Deputato in nuptio foedere attributa cessabit, nihilominus Regina in secretiori Senatu quemdam Consiliarium obtrudendi facultatem sibi reservabit. V. Quamprimum illa communem hostem bello vel ad repellendum, vel defendendum instructo aggredietur, Ordines quadraginta, vel quinquaginta navium classem præter quinque peditum millia, & quingentos Equites Anglis jungere tenebuntur. Quæcumvis hæc conditiones Angliæ Regine summopere proficuae, Ordinibus vero admodum onerosae essent, cum tamen eorum res inclinare viderentur, atque aliunde hi haud temere vererentur, se forte, postquam per triginta omnino annos suam sectam rebellionis ope tuent conati erant, demum ad probrosam pacem cum Hispanis ineundam adigerentur, hinc in præfata pacta consentire: pariter



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

ter Elifabetha Regina potentiam suam  
hisce fœderatis augeri haud parum læ-  
tabatur; noverat enim, folium, quod  
usurpaverat, nondum satis firmatum  
esse, crebrosque indies tumultus con-  
citari, quippe Hugo Tiræniæ Comes  
Hispanis copiis auctus, & Papæ moni-  
tis stimulatus pro tuenda Religione Ca-  
tholica in Hibernia magnos progressus  
fecerat, remque manu, & astu feliciter  
gerens non raro Pro-Reges Anglicos,  
qui eum impetebant, magna clade pro-  
fligabat: nec minus periculum Elisabe-  
thæ a Jacobo Scotiæ Rege imminebat,  
hic enim vix non aperte sese proximum  
Anglici regni hæredem proclamari cu-  
rabat, & sparsis passim libellis partim  
scriptis, partim editis comprobare nite-  
batur, quod nullo pacto a successionis  
jure excludi valeret: hanc in rem Re-  
ginæ etiam monstrabatur epistola ab eo-  
dem Rege ad Clementem VIII. Papam  
data, quamvis teste Guilielmo Camb-  
den Jacobus fraude circumventus hanc  
epistolam suo chirographo muniisse dice-  
retur: denique paulo ante Londini Ed-  
mundus, seu Eduardus Squira carceri  
dabatur, eo quod Elifabetham veneno  
necare molitus esset: fatali igitur ad-  
versitatum concursu Regina impelleba-  
tur, ut aucta virium potentia propriæ  
suæ,

Camden in  
vita Elis.

A a 2



Sæcul. XVI. fuæ, suorumque securitati, ac libertati  
 A. C. 1598. prospiceret.

## §. XLV.

*Bellum in Belgio continuatum.*

*Harræus*  
*Annal. Belg*  
*tom. 3. p. 548.*  
*Thu. l. 121.*  
*p. 842.*

Absente Alberto Archiduce Franciscus  
 Mendoza in Arragonia maris Præ-  
 fectus, cui Belgici exercitus imperium  
 erat commissum, cum viginti peditum  
 millibus, & mille quingentis Equitibus  
 rebelles fœderatos adoriri statuit, et  
 prope Ruremundam trajecto Mosa flu-  
 mine Osoyam Cliviensis ditionis oppidum  
 contendit, positisque ibidem castris hanc  
 urbem, arcemque præter Meursium, &  
 Alpenum deditioe cepit, moxque pro-  
 pe Valsam munimento in altera Rheni  
 ripa exstructo, castra ineunte mense Octo-  
 bri ad Rhenobergam, quæ vulgo Berta  
 ad Rhenum dicitur, obsidendam promo-  
 vit, quam, inopinato eventu victoriam  
 maturante, Hispanorum Regi subjecti  
 quippe die decima quarta Octobris, cum  
 ad nonam usque horam tormentorum  
 verberatio continuaretur, ignitus qui-  
 dam globus in turrim, ubi centum quina-  
 quaginta pulveris pyrii dolia asservaban-  
 tur, penetrabat, unde concepto igne  
 turris, arx, omnesque ferme ædes, ac  
 muri dejiciebantur, ipseque Hedvicius  
 Gubernator cum tota sua familia, plu-  
 resque alii ædium ruina sepulti pe-  
 rierunt.



rierunt, quo factō attoniti præfidiarii, ac non modo pulvere, sed etiam omnis auxilii spe frustrati urbem Hispanis tradiderunt, pacta vitæ incolumitate, atque impedimenta transferendi facultate: demum Mendoza continuato victoriarum cursu latius totam Cliviensem ditionem emensus Buderico, & Alpæ, aliisque exiguis oppidis præfidiarios milites imposuit, reluctantibus quidem civibus, Hispanici tamen exercitus terrore parere coactis. Postea Vesaliam contendit, quam urbem jam pridem subigere cupiebat, eo quod illius Magistratus abolita vera fide liberum Protestantibus accessum præberent, excussoque Cliviæ Ducis sui imperio sese privata auctoritate in libertatem asseruissent, novo documento comprobantes, quod hæreticis, ac præcipue Calvinistis maxime solemne sit, non modo divinum, sed etiam omnem humanum, præterquam vitiorum, dominatum abjicere: igitur Mendoza infelicem hanc urbem hæresis tyrannidi subjectam ad Religionis Catholicæ, sui que Principis obsequium saltem armorum terrore revocare intentus, exercitum suum admovit, ad cuius conspectum Calvinistæ urbis Consules suam perfidiam, atque iniquam catholicorum oppressionem castigari veriti, per suos Delegatos Mendozæ ingentem pecunia-

Sæcul. XVI,  
A.C.1598.



Sæcul. XVI.  
A. C. 1598.

cuniarum vim offerebant, dummodo ab injuria temperare vellet: ast strenuus hic Bellidux ejusmodi donum respiciens hæc in responsis dabat, "nil aliud a vobis peto, nisi ut fides Catholica, a qua per summam perfidiam defecistis, in urbe restauretur, & sacerdotibus præstintæ suæ dignitati redditis hæreticis vestri Præcones, qui eos dejecerunt, in urbe pellantur: id si a vobis impetrare non vero, omni thesauro potius habebitis, tunc primum omni opum abundantia felix, si tot animas sub hæretica tyrannide gementes in veram Christi libertatem asserere poterō." Ad hæc verba Calvinistæ Catholicis, qui adhuc in urbe erant, suadentibus Legatos ad Mendozam decernebant, qui illius postulatis se obtemperaturos sponderent, dummodo ab urbis obsidione, & depredatione liberi essent: horum spondio Mendoza nimia facilitate annuens Vesaliam ingressus suis severe prohibuit, ne quempiam, cujuscunque Religionis vel conditionis esset, quovis pacto molestarent: postea vero, ut cives ab hæreticis seducti eo facilius ad erroris sui agnitionem pervenirent, datis literis Cornelium Garziadorum, qui tum Coloniæ Pontificium agebat Nuntium, evocabant, ut restaurata Religione Ecclesias Catholicis ereptas rursus solemnibus ritu



facraret: vix autem Mendoza urbe ex-  
 cesserat, cum illico Calvinistæ violata  
 pactorum fide suos Pastorculos in civi-  
 tatem revocarent, atque impetu in Ca-  
 tholicos Sacerdotes facto, ipsum etiam  
 Pontificis Nuntium tanta sævitia inva-  
 derent, ut nonnisi occulta fuga sese mor-  
 tis periculo subducere posset.

Sæcul.XVI.  
 A.C. 1598.

§. XLVI.

*Continuatæ Mendozae Hispani exerci-  
 tus Belliducis victoriæ.*

Mendoza hisce victoriis nondum satur  
 sexto Vesalia lapide promotis ca-  
 stris Refam pervenit, quam urbem po-  
 tius tormentorum metu, quam impetu  
 occupatam præfidiariis munibat, inde  
 vero ad Isalam fluvium delatus in Tan-  
 sisalena Provincia Doesburgum aggre-  
 di parat, eoquod hoc oppidum ad Ve-  
 laviam, regionem sua fertilitate alendo  
 militi peropportunam, aditum pande-  
 ret; cum vero Mauritius Fœderatorum  
 Bellidux occupata hac urbe suis maxi-  
 mum damnum, hostibus vero ingens e-  
 molumentum accersiri probe intellige-  
 ret, collectis, quotquot poterat, copiis  
 Tolhusianum propugnaculum astu in-  
 tercepit, atque Hispanorum progressibus  
 obicem oppositurus Seventriæ arcem vi  
 captam valido firmabat præsidio: cum  
 ergo hac Mauritiï solertia urbis expu-

Gallut. de  
 bello Belg.  
 l. II.  
 Thu. l. 65



Fœcul. XVI.  
A.C. 1598.

gnatio multo difficilior redderetur, atque aliunde inclinata jam tempestate milites assiduis belli laboribus fessi facile in discrimen adducerentur, hinc in Belgico Senatu decretum, ut ab hujus urbis obsidione abstineretur: Mendocum autem recedente mox Mauritius Rheno, Isala, & Vahali fluviis admodum imbrum mescens delectos milites Embricam versus emittebat, qui aggerem Hartzflumini objectum aperirent, quo facta ingens aquarum copia Hispanorum castra inundabat: attamen Hispani per motis tormentis quantocius hostem retrocedere compellentes sequenti nocturno ruptum aggerem resarciebant, occupatisque Embrica, Ree, & Isselburgo Desebecomum oppidum haud procul Deseburgo situm die sexta Novembris cinerunt, quo in deditionem accepto vicinam arcem nomine Schulemburgum naturæ beneficio munitum occuparunt: porro post hæc ingruentibus pluviis, hyemisque rigoribus majorentare præpeditus ex Andreae Cardinalis Belgii Administratoris sententia copias suas in hiberna dimisit, easque per Montensem, Cliviensem diocesium, & Monasteriensem Diocesim distribuit.



§. XLVII.

Sæcul.XVI.  
A.C.1598.Protestantium petulantia Aquisgrani  
a Cæsare repressa.Sub idem tempus cum Protestantes in *Thu.l.c.*  
urbe Aquisgranensi contra datam *p. 847.*

fidem Catholicos omni auctoritate ex-  
uissent, summumque sibi imperium  
arrogassent, ac insuper sectæ suæ Præ-  
cones in urbem induxissent, ingens in  
urbe dissidium oriebatur: cum autem  
Protestantes nec rationibus, nec Cæ-  
saris, & vicinorum Principum minis ter-  
riti indies in majorem vesaniam, ac te-  
meritatem prolaberentur, Cæsar urgen-  
te San-Clemente Philippi Hispaniæ Re-  
gis Oratore, nec non Francisco Mendoza  
hosce hæreticos tanquam contumaces,  
ac perduelles lata in eos sententia Im-  
perio proscripsit, dato negotio, ut Erne-  
stus Bojarix Dux Coloniensis Elector,  
ac Leodiensis Episcopus, necnon Tre-  
virensis Archiepiscopus S. R. Imperii  
Septemvir, & Clivix Dux pronuntiatam  
hanc sententiam executioni darent: tan-  
dem vero hujus urbis Consules, cum rem-  
ferio agi, nec impunem eorum audaciam  
fore cernerent, supplices adibant Colo-  
niensem Electorem, supplices, ut hujus  
sententiæ severitatem temperari impe-  
traret, quod etiam eisdem datum, ea  
tamen lege, ut ejectis Augustanæ Con-

A a 5      fessiq-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

fectionis Præconibus sola Religio Catholica admitteretur, necnon Catholicæ Magistratus a motis hæreticis, pristinae dignitati restituerentur: ii vero Protestantes, qui hucusque Magistratus auctoritatem inique usurpaverant, illarum Catholicis damnum suo ære refarcirentur.

§. XLVIII.

*Patrum Societatis molimina in provertenda Molinæ damnatione.*

*Hist. Congr.*

*l. 1. c. 4.*

*Pegna vel. 3.*

*ad Gen. Inquis.*

*Abregé*

*chron. de*

*l'hist. Eccl.*

*to. 13. p. 356.*

*Hist. controuv.*

*l. 3. c. 5.*

Cum interea illustrissimi Præsules, Censores a Papa constituti per septem omnino menses indefesso studio ac solertia Molinæ scripta, atque Hispaniæ Præsulum, & Doctorum judicia cognovissent, primumque examen secundis curis subjectum die vigesima secunda mensis Novembris in ultimo consessu absolvissent, una omnes (excepto solo Antonio Bovio Carmelita Collegii Romani Lectore) censebant, Molinæ doctrinam, cum Pelagianorum, & Semipelagianorum errores redoleat, damnandam esse: hanc tamen censuram adventum summi Pontificis publici juris facere volebant, sed duntaxat Gregorio Lusitano Doctori, qui huic Congregationi a secretis erat, approbante Madrutio Cardinali, & Præsidente negotium dabant, ut is omnium Censuram nomine judicium de Molinæ libro latum, &



Sæcul.XVI.  
A.C.1598.

& postea in solemnī Congregatione approbandum conficeret, quatenus sic eo facilius summus Pontifex de tota rei gestæ serie certior fieri posset. Nec tamen ea res tam religioso celabatur silentio, quin Patres Societatis Jesu Censuram suffragia in Molinæ damnationem inclinare subolerent: quocirca totis viribus in id incubuere, ut hanc censuram per Constitutionem Apostolicam comprobari præpedirent: præprimis igitur Ferrariam datis ad Foroliviensem Episcopum Clementis VIII. Theologum literis eundem rogabant, quatenus sua auctoritate summum Pontificem eo induceret, ut ad tollendam hanc controversiam ab utraque litigantium parte suam doctrinam velut probabilem defendi posse declararet: Verum hic Præsul respondit, hanc pacis compositionem minime sibi probari; cum enim Jesuitæ Fratrum Prædicatorum doctrinam sæpius Calvinismi accusassent, hinc inconueniens foret, ut eandem tanquam probabilem permitti postularent, proin potius institutæ Congregationis iudicium præstolarentur, ex quo utriusque sententiæ merita dignosci possent. Jesuitæ in hujus Episcopi patrocinio nullum suæ causæ præsidium superesse haud ignari, in Principum favoribus opem quærere satagebant, cumque rumor de Molinæ doctri-



Sæcul. XVI  
A. C. 1598.

na certo certius proscribenda in Hispania invalesceret, in cunctatione periculum subesse rati Mariam Imperatricem Maximiliani II. Conjugem, ac Rudolphum II. Cæsaris Matrem Madriti agentes supplices adibant, ut ipsa datis ad Papam literis supplicaret, quatenus Papa pro ea benignitate, qua eidem faveret, Societatem quoque sibi commendatam habere velit, præsertim in negotio libri Molinæ, qui ad molimina æmulationis ejus a toto Consilio examinatus fuit. Annuit eorum precibus Imperatrix, et Madrito die decima quarta Novembris suis literis Pontifici exposuit, quod illorum, qui Molinæ adversantur, oppositiones inventæ fuerint inanes, & fundamento carentes, liber vero tanquam catholicus, & catholicus a pluribus Academicis, Prælati, doctisque Castellæ habeatur. Præter hæc adhuc quatuor alias ejusdem argumenti literas die secunda Decembris dabat ad Aldobrandinum, Madrutium, & Sanseverinatem Cardinales, necnon ad Sessæ Ducem. Insuper Jesuitæ, cum Philippum III. Hispaniæ Regem plurimum apud Clementem VIII. auctoritate, ac gratia valere haud ignorarent, potentissimum ejus patrocinium suæ causæ oppido necessarium fore rati, eundem impensis precibus urgebant, ut Molinæ causam

Roma



Sæcul. XVI.  
A.C.1598.

Romæ tueri vellet: attamen sapientissimus Princeps die vigesima sexta Novembris ad summum Pontificem, nec non ad Selsæ Ducem, suum apud Apostolicam Sedem Legatum, literas quidem dabat, nulla tamen nec de Molina, nec de Bannesio, aut aliis mentione facta duntaxat postulabat, *ut ex æquo, & bono iudicium exerceretur, ita, ut neutra pars, iniquiore, ulla in re, conditione premeretur, easque audiri potius, ac tum demum, causa satis cognita, jus æqualiter administrari curet, & tandem omnis occasio novarum inter duos Ordines offensionum removeatur, detrimenta cessent, sit, & conservetur multa pax, & bona correspondentia:* Sub idem quoque tempus die vigesima nona Novembris Christophorus Cobos, & Ferdinandus de Bastida, ac paulo post Joannes Salas Societatis Jesu Theologi Romam venere, ut in Molinæ favorem apud summum Pontificem, quem proxime Ferraria reducem noverant, suas quoque preces interponerent, prius vero plurimas lucubrationes, & scripta contra Patrem Bannesium Dominicanum Theologum divulgabant, eundem accusantes, quod quasdam sententias ab ipsis FF. Prædicatoribus reprobata tradidisset: attamen hac accusatione Censorum mentem haud immutare valentes Clementis



Sæcul. XVI. A.C. 1598. mentis VIII. adventum præstolari co-  
gebantur.

## §. XLIX.

*Clemens VIII. Ferraria Romanam  
reversus.*

*Spond. An-  
nal. ad ann.  
1598. n. 16.  
Ciac. tom. 4.  
vit. Pontif.*

Postquam Clemens VIII. summus Pon-  
tifex cunctis ad prosperum regnum  
Ferrariæ dispositis, urbem multis gratiis  
ac privilegiis ornaverit, totiusque Fer-  
rariensis ditionis populum in Ecclesiæ  
Cathedrali a censuris omnibus iterum  
iterumque die vigesima sexta Novem-  
bris absolverat, cum toto aulico comi-  
tatu in viam sese Romam versus dedisset,  
ac die vigesima septima ejusdem mensis  
lectica vectus Bononiam pervenit, festiva  
omnium acclamatione exceptus, inde vero  
Lauretum contendens in laudibus  
cris his ædibus solemniter Deo Omnipoten-  
ti sacrificium incruentum obtulit, simulque  
Aldobrandinum, & Cælium Cardinales  
sacro Presbyteratus Ordine initiabat, sacra-  
mentum vero domum non modo splendidissimis  
domis, sed quoque plenam omnium noxarum  
condonationem in præcedentium favorem  
augebat, ac demum continuato itinere die  
vigesima Decembris Romam ingressus est,  
incredibili Romanorum lætitia, qui etiam  
inter alia trophæa in sinceri animi signum  
hanc eidem inscriptionem, quæ præcipuas  
res ab eo gestas



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

gestas complectebatur, apposuerunt: Clementi VIII. Pontifici Optimo Maximo ob rem christianam optime gestam. Ægyptum, Æthiopiam, Russiam ad Religionem receptas, Turcas expulsos, Pannoniam propagatam, Strigoniam devictam, Ferrariam adeptam, quodque Gallix, & Polonix Reges, Hispanix Reginam, omnibus pacem dederit. S. P. Q. R.

§. L.

*Horrenda Romanæ urbis inundatis.*

Attamen Pontifex vix tertium Romæ diem agebat, cum vigesimo tertio Decembris fluvius Tyberis, qui jamjam assiduis aliquot dierum pluviis aliquantum intumuerat, ob ventorum meridionalium violentiam, qua obstructo fluminis ostio undæ in mare sese exonerare præpediebantur, tam subita inundatione restagnare cœperat, ut ipso Nativitatis Dominicæ festo aucta novis undarum accessibus eluvione tota urbs, omnesque circumquaque campi, arbores, collesque natate viderentur, nam qua parte paulo ante ampla planities lateprata, virentesque campos explicaverat, & Principum rhedæ, ac colonorum currus equis trahebantur, ibi nunc exarsuante Tyberis eluvione undequaque reu-

Spond. &  
Ciac. l.c. 259.  
Thu. p. 840.



Sæcul. XVI.  
A. C. 1598

*Bull. Const.*  
*55. to. 3. p. 79.*

refusum flumen conspiciebatur, adeo  
ut soli montes, & nonnulla editiora  
ca reniterent, & homines ubique nau-  
gia etiam majora remis agere cogere-  
tur, undis ad tantam ascendentibus al-  
titudinem, ut etiam illam, quæ sub  
Clemente VII. anno millesimo quingee-  
tesimo trigesimo contigerat, duobus pa-  
mis superaret. Periere in urbe, & agro  
mille, & quingenti circiter homines, ge-  
gensque armentorum, pecorum, me-  
cium, annonæ, aliarumque rerum, a  
plurimarum ædium strages decies fer-  
me centenis millibus æstimata crede-  
batur, atque ob hujus calamitatis vio-  
lentiam ventum foret ad desperationem  
necessitatem, nisi Clemens Pontifex pi-  
terna vere sollicitudine, & charitate af-  
flictum populum solatus, atque unacum  
Magistratu, aliisque Proceribus cymba  
vectus Romanam urbem lustrasset, mi-  
sisque in singulas civitatis regiones  
viculis eos, qui in suis domibus peri-  
clitabantur, transferri, alios tam intra  
quam extra urbem cibis, ceterisque re-  
bus necessariis adjuvari curasset: cla-  
xit præcipue pietas Petri Cardinalis Al-  
dobrandini Pontificii Nepotis, aliorum-  
que, qui pariter per urbem navigantes  
majora adhuc pericula a populo provin-  
dis mandatis avertere, ac singulis, quan-  
tum poterant, succurrere, necnon cessan-



te diluvio pauperibus, quod repentina undarum sævitia abstulit, christiana pietate suppleri satagebant: nec deerant, qui funestum hunc casum non tam naturali causæ, quam speciali divini Numinis consilio adscribere, existimantes, quod Deus hac calamitate gaudium ex recuperata Ferrariensi ditione conceptum temperare voluerit: ipse vero summus Pontifex die vigesima tertia Januarii edito diplomate declarabat, quod hujus eluvionis causam quisque intra semetipsum pervestigare deberet, & ob iniquitates, quæ multiplicatæ sunt nimis coram Deo, peccatorum abyssus abyssum aquarum, & inundatio inundationem provocarit: quapropter unumquemque hortabatur, ut a via mala conversus ad Dominum Deum revertatur, & beatæ Virginis, sanctorumque Apostolorum ope implorata omnes a vitiis abstineant, & virtutum exercitiis incumbant: propterea idem Pontifex ad placandam Dei vindicis iram solennes supplicationes ad Basilicas B. V., & divi Petri indixit, eisque ipsius, omnesque Cardinales, ac Præsules intererant, simulque omnes Christi fideles tam intra, quam extra urbem degentes ad varia pietatis opera hortatus cunctis, sicut in anno Jubilæi, plenam peccatorum condonationem concessit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

*Hist. Eccles. Tom. LII. B b §. LI.*



Sæcul. XVI.  
A. C. 1598.

§. LI.

*Michaelis Bonelli Cardinalis  
obitus.*

*Ciaccon l.c.  
to. 3. p. 1029.  
Ekard. de  
script. Ord.  
Præd. to. 2.  
p. 323.*

**H**ic idem annus quinque S. R. Ecclesiæ Cardinalibus funestus erat, quo inter primus recensetur Michael Bonellus Pii V. ex sorore Nepos Bochi in Dentonensi Diœcesi anno restauratæ salutis millesimo quingentesimo quadragesimo primo die vigesima quinta Novembris natus, qui Romæ in Collegio Romano humanioribus literis imbutus, Perulæ theologicis disciplinis operam dabat, Michaelis Ghislerii postea Pii V. Arciculi sui vestigia premere cupidus, circa annum Christi millesimum quingentesimum sexagesimum sancti Dominici institutum profitebatur, ac meritis potius quam annis crescens ingens sibi nomen comparabat, quocirca non modo Catholici Regis Orator, omnesque Cardinales illum purpura decorari efflagitabant, quorum tamen precibus Pius V. aliquandiu resistens ægre admodum annuit, illumque Cardinalem titulo S. Mariæ supra Minervam anno ætatis suæ vigesimo quinto decoravit, ea tamen lege, ut Bonellus Ordinis sui vestibus absque rubeo galero utatur, pauperemque vitam ducat: igitur solus die sexta Martii anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto



sexto feria quarta Cardinalis creatus, Sæcul. XVI.  
 demum biennio post die tertia Decem- A.C. 598.  
 bris S. R. E. Camerarius renuntiabatur,  
 qua dimissa dignitate Hierosolymitani  
 Ordinis Prior, necnon S Michaelis Clo-  
 fini Abbas, & Legatus a latere in publi-  
 co Purpuratorum Senatu die decima ter-  
 tia Julii anno millesimo quingentesimo  
 septuagesimo primo constituebatur, ac  
 ad Hispaniæ, & Franciæ Reges in gra-  
 vissimi momenti negotiis decernebatur,  
 qua legatione apud Philippum II. felici-  
 ter gesta, in Gallias delatus Carolum IX.  
 Regem eo adducere non potuit, ut sa-  
 cro foederi nomen daret, ærarium pri-  
 stinis bellis exhaustum caussatus, hujus  
 tamen Cardinalis suasu pollicebatur,  
 quod nunquam foederatis impedimento  
 esse vellet, atque in sinceri promissi fi-  
 dem, atque pro immotæ erga Sedem  
 Apostolicam obedientiæ signo detractum  
 e digito suo annulum Legato tradebat,  
 quem tamen Bonellus acceptare recu-  
 sans reposuit, tanti regis fidem sibi quo-  
 vis pignore potiozem esse; nihilominus  
 post Pii V. obitum Rex eundem annu-  
 lum Michaeli Cardinali Romam trans-  
 misit, atque in illius circulo hæc verba  
 insculpi iussit: *non minus hæc solida est*  
*pietas, ne pietas possit mea sanguine coli,*  
 Mittebatur etiam Bonellus ad Sebastia-  
 num Lusitaniæ Regem, ut illum ad foæ-  
 dus



**Sæcul. XVI.** **A.C. 1598.** dus contra Turcas ineundum induc  
 ret, eique Margaritam Valesiam Ga  
 lorum Regis sororem despondere  
 Postea Romam reversus anno Domini  
 millesimo quingentesimo septuagesimo  
 secundo mense Majo Pio V. Pontifici  
 vinculo suo morienti pius, & intrep  
 dus adstitit. Comitibus exinde Pontifi  
 cibus Gregorii XIII. Sixti V. Urbani VIII.  
 Gregorii XIV. Innocentii IX., & Cle  
 mentis VIII. interfuit, sub Gregorio  
 tem decimo tertio Congregationi de re  
 formatione Regularium præfuit, ac re  
 gnante Sixto V. ad titulum S. Laurentii  
 in Lucina vocatus totius ditionis Pon  
 tificiæ Vicarius, atque a Gregorio XIV.  
 Episcopus Albanus, denique a Cleme  
 nte VIII. Hungariæ, variarumque Con  
 gregationum Protector nominatus  
 Erexit is apud Rhetios Seminarium  
 pro triginta quatuor hujus nationis  
 venibus annuos redditus assignabat,  
 communi elogio pauperum Pater de  
 prædicatus plura quotannis aureorum  
 millia in miserorum subsidium profusa  
 charitate erogabat, tandem vero ea, qua  
 vixerat, sanctitate anno Incarnationis  
 Dominicæ millesimo quingentesimo non  
 agesimo octavo die vigesima nona Mar  
 tii anno ætatis suæ quinquagesimo  
 primo obiit, humili primum loco in Ec  
 clesia sanctæ Mariæ supra Minervam se  
 pultus



pultus, in cuius honorem, gratique **Sæcul. XVI.**  
 animi signum postea Petrus Aldo- **A.C. 1598.**  
 brandinus Cardinalis iussu Clementis  
 VIII. magnificum erexit monumentum.  
 Scripsit Bonellus *relationem gestorum*  
*in legatione ad Reges Franciæ Carolum*  
*IX., Hispaniæ Philippum II. & Lusitanicæ*  
*Sebastianum I., præter ordinationes plures*  
*pro recto Provinciæ utriusque Longobar-*  
*diciæ regimine etiamnum observatas.*

§. LII.

*Francisci Cornelii Cardinalis mors.*

Eodem hoc anno die vigesima quinta **Ciac.tom.4.**  
 Aprilis Romæ decessit Franciscus **p. 293.**  
 Cornarus, seu Cornelius ex nobilissima  
 Venetorum profapia ortus, qui sollicita  
 parentum cura in vitæ innocentia edu-  
 catus humanioribus literis, ac philoso-  
 phicis, necnon theologicis disciplinis se-  
 dulam operam navabat, & utriusque ju-  
 ris peritissimus primo Abbas S. Bonao,  
 & mox Gregorio ipsius Patruo cedente  
 Travisinæ Ecclesiæ Episcopus a Grego-  
 rio XIII. die vigesima septima Novem-  
 bris anno Christi millesimo quingentesi-  
 mo septuagesimo septimo nominabatur,  
 hancque Ecclesiam cum maximo gre-  
 gis sui emolumento regebat, in hoc sin-  
 gulariter commendandus, quod sanctis-  
 simam Evcharistiam, quotiescunque ad  
 infirmos deferebatur, nisi urgentissimis

B b 3 nego-



Sæcul. XVI. A. C. 1598. negotiis præpediretur, semper religio-  
comitatus sit, atque in summa rerum in-  
opia pauperibus maximam opem tribu-  
rit, simulque coactis pluribus Synodis  
Seminarium emptis quibusdam ædifican-  
dum ære suo erexerit: demum Romam con-  
tendens a Sixto V. Pontifice Camera-  
Apostolicæ Clericus creabatur, postquam  
vero Trivisinum Episcopatum dimiserat,  
a Clemente VIII. anno a partu Vespa-  
siani millesimo quingentesimo nonagesi-  
mo quinto sacro Collegio inter Presby-  
teros Cardinales obtento titulo sancti  
Martini in montibus aggregatus est: qui  
tamen dignitate hæud diu fruebatur  
optimo infirmitatis suæ die vivis ereptus  
ubi dein corpus ejus in Quirinali monte  
ad ædes sancti Sylvestri Ordinis Clero-  
rum Regularium in marmorea tumulo  
hæud procul a sepulcro Friderici Come-  
lli itidem Cardinalis depositum fuit.

§. LIII.

*Philippi Guilielmi Cardinalis  
decessus.*

*Ciac. tom. 4.  
p. 312.  
Adlzreiter  
annal. Boi.  
part. 2. l. 12.  
n. 77.*

Tertius erat Philippus Guilielmus Guilielmi Bavariæ Ducis, ac Renate Lotharingæ Filius secundo-genitus die vigesima secunda Septembris anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo sexto Monachus natus, qui ibidem humanioribus literis excu-



excultus Ingolstadii unacum Ferdinando Sæcul. XVI.  
 Fratre suo assertiones ex univerſa Phi- A.C.1598.  
 loſophia publice defendendas ſuſcepit,  
 inſignique promptitudine, & eruditione  
 ſubtiliora Profeſſorum argumenta per  
 integram diem cum maximo Audito-  
 rum applauſu diſſolvit: poſtea in ea-  
 dem Academia Theologiæ operam da-  
 bat, cumque Ratiſbonenſis Epiſcopus re-  
 nuntiatus eſſet, ad ſuam Diœceſim pro-  
 ſectus præclara pietatis, ac religionis,  
 cujus ſtudium a piiffimis Parentibus hæ-  
 reditario jure acquiſierat, ſpecimina e-  
 dere cœpit, ac ſæpius ad populum e ſug-  
 geſtu dicens Catholicorum animos in fi-  
 dei Orthodoxæ conſtantia mire firma-  
 bat, reliquasque horas aut viſitandis,  
 ſublevandisque pauperibus, ac abluen-  
 dis eorum pedibus, aut exquirendis do-  
 ctorum virorum conſiliis tranſigebat:  
 demum Sereniſſimi Parentis ſui juſſu  
 Romam unacum Maximiliano Fratre  
 ſuo natu majori die tertia Septembris  
 anno milieſimo quingentefimo nonage-  
 ſimo ſecundo petiit, ubi a toto Purpura-  
 torum Collegio, utroque Pontificis Ne-  
 pote, Principum Legatis, Aulæque Or-  
 dinibus excipiebatur, univerſo populo  
 horum Principum modeſtiam, atque An-  
 gelicam innocentiam demirante, nec-  
 non una voce duos Angelos Romam ad-  
 ventaffe acclamante: die autem unde-



Secul. XVI  
A. C. 1598.

cima Septembris a Clemente VIII. v-  
ginti octo Cardinalibus stipato in Vac-  
cano Palatio exceptus Philippus concin-  
nam orationem habuit, postquam ven-  
per plures menses Romæ substiterat, in  
patriam rediturus ab eodem Pontifice  
pretiosis muneribus, sacrisque lippis de-  
tabatur, ac die decima octava Decembris  
anno Domini millesimo quingentesimo  
nonagesimo sexto Presbyteris Cardina-  
libus adscribebatur, quam dignitate  
Guilielmns Bojarix Dux Philippi Pa-  
rens tanti habebat, ut suum de eminenti  
hoc honore iudicium publice testatur  
Filiis sui inaugurationem Monachii cum  
maxima solemnitate celebrare decerne-  
ret, quapropter secunda Februarii die in  
templo sancti Michaelis præsente Serenissi-  
sima Familia Romanæ purpuræ hono-  
res, officia, ac sollicitudinem pro con-  
servatione explicari voluit, qua finita Philip-  
pus a Legato Apostolico Cardinali  
dignitatis insignia cum summa omnia  
congratulatione accepit, ac paulo post  
ibidem ornatam Orationem ad populum  
habuit, simulque Ratisbonæ pro re Ce-  
tholica ibidem promovenda Patribus So-  
cietatis Collegium fundavit, copiosisque  
redditibus dotavit: paulo post tamen et  
equi lapsu sanguinem evomere, indeque  
increcente tabe diu languere coepit, at  
Ratisbona Monachium curandæ suæ ve-  
let



Sæcul. XVI  
A.C.1598.

letudinis gratia profectus, inde Ingol-  
stadium primo vere divertit, ut salubrio-  
ris aeris beneficio fruere: finito au-  
tem Paschate Dachavium petiit, ubi in-  
gravescente morbo a Medicis derelictus,  
necnon de extremo vitæ momento mo-  
nitus imperterritè respondit: *in cælo vi-  
vere jucundius est, cur hinc abire cuncte-  
mur?* quibus dictis præmissa humili de  
præteritæ vitæ peccatis accusatione sa-  
cro viatico, ac morientium Oleo muni-  
tus fuit, & cum Sacerdote psalmum, qui  
incipit: *Dominus illuminatio mea*, mo-  
rituris jam, & hi ulcis verbis prosequen-  
tibus: cum vero ad illa verba ventum  
esset, *unam petii a Domino, voce ultra  
morientis vires valida subjecit, hanc re-  
quiram, ut inhabitem in domo Domini,  
domum Domini, domum Domini cupio,  
exopto, & requiro:* demum accepta  
ex serenissimi Parentis sui manu cande-  
la die decima octava Maji in paterna  
Dachaviensi arce virgineam, niveque  
candidiorem animam Deo placidissime  
reddidit, annos nonnisi viginti duos na-  
tus, porro inde Monachium translatus  
Majorum tumulo in Beatæ Virginis Ec-  
clesia inferebatur, ubi deplorabant omnes  
juvenem hunc Cardinalem summæ expe-  
ctationis Principem, ac pietatis, & reli-  
gionis studio, necnon raræ prudentiæ  
laude, ac rerum divinarum, humana-



Sæcul. XVI. rumque scientia conspicuum, erga omnes humanum, mansuetum, ac clementem, qui summa erga serenissimos Parentes suos reverentia, & integritatæ vitæ castimonia clarus canæ ætatis dignissimus fuisset, nisi cœlum Angelicum juvenem terræ invidens ad se traxisset.

## §. LIV.

*Scipio Lancelotus Cardinalis mortuus.*

*Ciac. tom. 4. p. 100.*

Hujus piissimi Cardinalis obitum præcesserat mors Scipionis Lanceloti ex nobilissima Romanorum prosapia anno Christi millesimo quadringentesimo vigesimo septimo die vigesima secunda Novembris natus. Hic evoluto studiorum curriculo civilium rerum cognitione, & utriusque juris prudentia tantopere eminebat, ut nonnisi octodecim annos natus Bononiæ Doctoratus honores adipisceretur, porro dein eruditionis suæ fama Romam personante primo a Paulo III, secretioris Senatus advocatus, ac demum a reliquis summis Pontificibus ad gravissima Ecclesiæ negotia adhibebatur, & quidem a Pio IV. ad Mediolanensem, & Tridentinam Synodos, necnon ad Maximilianum II. Romanorum Regem, & Albertum Baviaræ Ducem, ut de hujus Concilii rebus cum illis



lis ageret, Legatus decernebatur: inde Sæcul. XVI.  
A.C.1598.  
 reversus Rotæ Romanæ accensebatur,  
 postea vero a Pio V. rursus ad eundem  
 Maximilianum, & Albertum Bavarizæ  
 Ducem ablegatus Comitiis pro electio-  
 ne Cæsaris interfuit, pariterque Grego-  
 rii XIII. jussu Flavium Ursinum Cardi-  
 nalem ad Carolum IX. Franciæ Regem  
 comitabatur, ubi ubique mira suæ do-  
 ctrinæ, prudentiæ, ac singularis in re-  
 bus gerendis dexteritatis specimina e-  
 debat, quapropter adstipulante tot me-  
 ritorum suffragio ab eodem summo Pon-  
 tifice Diaconus, & postea Presbyter Car-  
 dinalis titulo sancti Simeonis anno re-  
 stauratæ salutis millesimo quingentesi-  
 mo octuagesimo tertio die duodecima  
 Decembris renuntiabatur, & paulo post  
 a Sixto V. audiendis ecclesiastici Ordini-  
 nis negotiis præpositus Bononiam, & Fer-  
 rariam mittebatur, ut lites de agrorum  
 finibus inter Bononienses, & Ferrariæ  
 Principes exortas componeret: anno au-  
 tem post Christum natum millesimo quin-  
 gentesimo octuagesimo quinto signandis  
 Sedis Apostolicæ literis præfectus titu-  
 lum sancti Salvatoris obtinuit. Inter-  
 fuit etiam Comitiis, in quibus Sixtus V.  
 Urbanus VII. Gregorius XIV. Innocen-  
 tius IX. & Clemens VIII. summi Pon-  
 tifices eligebantur: demum vero lethali  
 morbo oppressus Romæ die quinta Ju-  
 nii



Sæcul. XVI. A.C. 1598. mo nonagesimo octavo, ætatis vero sue septuagesimo primo vivis ereptus est: postero corpus ejus sepultum quiescit in quadam Basilicæ Lateranensis sacello, quod ipsemet sancto Francisco dicatum construxit, dotavitque.

§. LV.

*Augustini Cusani Cardinalis mors.*

*Ciac. l. c. p. 192.*

Paulo post Augustinus Cusanus eadem æternitatis viam aggrediebatur, qui nobilibus parentibus Alphonsi seu ut alii volunt, Aloysio Cusano, & Constantia Adda Mediolani progenitus ob ingenii sui excellentiam jam a pueritia totum sese literarum exercitationibus cum insigni profectu sacrabat, ac humanioribus literis Mediolani, Avenionæ autem, & Bononiæ sub Angeli Papii magisterio jurisprudentiæ operam navavit, adeo, ut Ticini ad Jurisconsultorum collegium adoptatus utriusque juris Professor renunciaretur: postea in patriam reversus, & in sancti Caroli Borromæi consortium accitus morum sanctitate præfulgebat; cum vero ob familiaris suæ negotia Romam contenderet, prospero sane fato in ædibus Beatæ Mariæ in Vallicella cum Francisco Maria Terusio, & Cæsare Baronio maximi nominis



Sæcul.XVI.  
A.C. 1598.

minis Cardinalibus, necnon cum sancto Philippo Nerio magnam familiaritatem ex morum similitudine auctam contraxerat, unde cognitis tam præclari viri meritis, ac singulari ejus eruditione a Gregorio XIII. utriusque Signaturæ Referendarius, & Cameræ Clericus, ab illius vero successore Sixto V. Rotæ Auditor nominabatur, atque anno a partu Virginis millesimo quingentesimo octuagesimo octavo die decima quarta Decembris Diaconus Cardinalis titulo sancti Adriani creabatur: postea sub Gregorio XIV. octava Februarii die anno salutis nostræ millesimo quingentesimo nonagesimo primo Presbyter Cardinalis titulum S. Laurentii in Pene, & Perna adoptavit, a Clemente vero octavo Pontifice maximo titulum SS. Joannis, & Pauli die trigesima Augusti anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo quinto obtinuit, qua dignitate auctus præclara Ecclesiæ præstitit obsequia, in variis Congregationibus sedulo operam suam impendens. Hic idem Cardinalis in Ecclesia tituli sui ad sanctum Adrianum invenit corpora sanctorum Marii, & Marthæ unacum plurium aliorum sanctorum Martyrum Reliquiis, quæ in tribus distinctis loculis cum peranti- quis, lectu tamen haud arduis inscriptio- nibus defossæ delitescabant, ex his au- tem



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

tem præcipue erant Reliquiæ SS. Adriani, Nerei, Achillei, Domitillæ, Marthæ, Simetri, Simeonis, Justini, Renati, Flaviæ, Papiæ, & Mauri, unacum sanctorum trium Puerorum ossibus, quæ hic Cardinalis sub altari majori magnificentius exornato condidit, sanctorum vero Papiæ, & Mauri corpora ad Ecclesiam sanctæ Mariæ die decima octava Februarii anno post Christum natum millesimo quingentesimo nonagesimo annuente Sixto V. transtulit, Fratresque Ordinis sanctæ Mariæ de Mercede introduxit: porro anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo octavo Clementem VIII., qui Ferrariam petierat, comitatus inde Mediolanum divertit, ubi eodem ætatis suæ quinquagesimo septimo die decima quinta Octobris e vita excessit, ac pietatem, suamque liberalitatem non modo in ditandis Lauretanis ædibus vivus, sed etiam moriens testatam reddidit, dum voluntatis extremæ tabulis Mediolani Nosocomium omnium bonorum hæredem scripsit, multaque aureorum millia domesticis suis legavit. Sepultus est in Ecclesia sanctæ Barbaræ, ubi Hospitalis domus Præfecti in gratiæ animi monumentum eidem perhonorificum Cenotaphium posuere.

§. LVI



§. LVI.

*Ariæ Montani obitus.*

Sæcul.XVI.  
A.C.1598.

Hoc item anno Respublica literaria plurium Scriptorum jacturam deplorabat, quos inter primus erat Benedictus Arias Montanus natione Hispanus Frexevalli in Pax-augustana Diocesi natus, qui Hispali a parentibus generis quidem nobilitate illustribus, factum tamen paritate pressis educationis Hispalensium Procerum subsidio liberaliter omni scientiarum genere imbuebatur, nam Complutum profectus non modo Theologiæ, sed etiam Græcæ, Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, & Arabicæ linguæ cum insigni profectu operam dabat; cum vero hæc scientiarum ubertas nondum ingenii ejus vastitatem fatiaret, Italiam, Gallias, Germaniam, Belgium, & Angliam percurrebat, ut horum quoque idiomatum peritiam acquireret: postea sacræ militiæ nomen dare constituens, & sacerdotio initiatus in Ordinem sacræ militiæ sancti Jacobi cooptabatur, simulque Hispalensem Antistitem ad Synodum Tridentinam comitabatur, ubi ingens sibi nomen comparabat, inde vero reversus, atque Aracenzæ in Vandalitia commoratus totum sese studiis impendit, e sua tamen solitudine evocabatur a Philippo III. Hispaniarum

Thu. l. 120.  
Hist. Geogr.  
Lexicon.  
Verbo Arias.  
Miræus de  
script. Sæc.  
XVI.  
Possev. ap-  
par. & Bibl.  
l. 2.



Sæcul. XVI.

A.C. 1598.

niarum Rege: cum enim hic Princeps Complutensium Bibliorum a Francisco Ximeno Toletano Archiepiscopo, Cardinali editorum non minus utilitatem, quam exemplarium paucitatem, raritatemque consideraret, hinc eadem Biblia linguarum diversitate aucta, magisque locupletata iterato prælo Antverpiæ subicere statuit, hujusque operis curam Ariæ Montani commisit, quem cum regio diplomate ad Belgas contendente Albæ Ducis Belgii Governatori, necnon Antverpiensi Magistratui die vigesima quinta Martii anno millesimo quingentesimo sexagesimo octavo plurimum commendabat, necnon Plantinum Typographum ad maturandum hujus operis prælum urgebat: præterea Pius V. Pontifex comperto hoc Regis consilio Legatum ad Albæ Ducem decernebat et flagitans, ut Ariam, omnesque hujus editionis promotores suo assensu, & auxilio foveret. Arias operi manum admoturus die vigesima tertia Maji anno millesimo quingentesimo sexagesimo octavo apud Lovaniensem Academiam legationis suæ causam exponebat, ac hocce Doctores rogabat, ut ei hac in re omnem operam, ac diligentiam præstare velint, qui etiam hunc Theologum tam liberaliter excipiebant, ut ipsemet Rex die decima



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

cima quarta Septembris datis literis hu-  
jus Academiae Doctoribus grates repen-  
deret. Postea Arrias Spinosa, Granvel-  
lani, & Sirleti Cardinalium, Andreæ  
Masii Bruxellensis, aliorumque Docto-  
rum opera adjutus per integros quatuor  
annos a decima quinta, qua in Belgium  
venit, Maji die anni millesimi quingen-  
tesimi sexagesimi octavi usque ad ulti-  
mam Martii diem anni septuagesimi se-  
cundi huic labori operam impendit, &  
sacra Biblia, quæ vulgo regia dicuntur,  
Hebraica, Græca, & Latina lingua ex  
Complutensi exemplari cum integra Pa-  
raphrasi Chaldaica, nec non novum Te-  
stamentum Græco, Latino, & Syriaco  
idiomate octo tomis comprehensum con-  
cinnabat, quo opere feliciter absoluto a  
Philippo Rege Catholico Romam con-  
tendere jubebatur, ut primum horum  
Bibliorum exemplar Gregorio XIII. tum  
summo Pontifici offerret, quod idem Pa-  
pa grater accipiens, tantam gloriam  
Regi die vigesima tertia Augusti anno  
millesimo quingentesimo septuagesimo  
secundo datis ad eundem literis non  
modo gratulabatur, sed hoc opus Con-  
stitutione die prima Septembris eodem  
anno edita comprobabat, necnon Ariam  
Montanum cum literis commendatitiis  
die vigesima quinta Octobris ad Regem  
remittebat, cui etiam reduci Philippus

Hist. Eccles. Tom. LII.

C c i a



Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.

in tanti laboris præmium Episcopalem sedem obtulerat, quam tamen gratiam cum humilis vir acceptare renueret, regie bibliothecæ ad S. Laurentium in Escoria præficietur. Arrias ab æmulo suis, præcipue vero a Leone Castrejo qui de septuaginta Interpretibus commentarium scripsit, tam graviter vexabatur, ut ad dicendam causam Romam contendere cogeretur, inde vero revertens in Vandalitiam secessit, atque sacrorum librorum lectioni, & lucubrationi intentus Hispali, in Equitum sancti Jacobi Collegio, cujus alumnus erat, die primæ Junii juxta Nicolai Antonii relationem, seu die sexta Julii juxta aliorum narrationem, anno ætatis suæ septuagesimo primo pie decessit. Scripsit præterea elucidationes in Evangelia, Acta Apostolorum, Epistolas Divi Pauli, Apocalypsin, in duodecim Prophetas, & triginta primos Psalmos, necnon in Hebraicam præter antiquitatum Judaicarum libros novem, pluresque alios Commentarios quorum indicem exhibet Posssevinus in suo apparatu sacro.

§. LVII.

*Abrahami Ortelii fata.*

*Miræus l. c.* Eodem pene mense, ut scribit Miræus, p. 243. & decessit Abrahamus Ortelius Antverp. Montano admodum familiaris Antverpiz  
248.



piæ natus, qui subtili quidem ingenii a-  
 cie præditus, politioribus tamen literis  
 vacandi occasione privatus nonnisi tri-  
 gesimo ætatis suæ anno ad studia ani-  
 mum adjiciebat, brevi tamen absque ul-  
 lius magisterio literas, & linguas mira  
 facilitate didicerat, quibus instructus,  
 cum antiquitatum, ac rei Geographicæ  
 a tenera ætate studiosissimus esset, Ger-  
 maniam, Gallias, Angliam, Hiberniam,  
 Italiam, & Hollandiam nec labori, nec  
 sumptibus parcens, non modo corpore,  
 sed potius animo ad omnia intento per-  
 lustrabat, inde vero in patriam reversus,  
 primo veluti rudimento peregrinatio-  
 nes suas succincte describere statuit, la-  
 bore tamen præter opinionem excre-  
 scente elegantissimum juxta, ac vastissi-  
 mum opus elucubrabat, quod *Theatrum*  
*Orbis terrarum* inscripsit, illudque obtu-  
 lit Philippo II. Hispaniæ Regi potentissi-  
 mo literariæ Reipublicæ Fautori, qui  
 hunc laborem tantopere probabat,  
 ut illius Auctorem pluribus benefi-  
 ciis, ac regii Geographi officio decora-  
 ret, qua liberalitate incitatus Ortellius  
 immenso labore *Theaurum Geographicum*,  
 & *Synonima Geographica vetera, &*  
*nova* conscripsit, demum vero ex Roma-  
 norum numismatibus aureis, argenteis,  
 & æreis summa solertia collectis anti-  
 quorum locorum memoriam renovabat,

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1598.  
 Thu. l. c.  
 Andr. Bibl.  
 Belg.  
 Spond. hoc  
 ann. n. 23.





**Sæcul. XVI.** ac tabulas a se eleganter depictas, quæ  
**A.C. 1598.** *Icones Deorum, Dearumque* vocat, a Francisco Swertio historice illustratas delineabat. Alium quoque edidit librum sub titulo: *Aurei sæculi imago*, ubi Germanorum veterum vitam, mores, & religionem exactissime descripsit, huncque librum Philippus Gallæus anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo octavo unacum iconibus publicè juris fecit. Extat etiam præfati Scriptoris itinerarium per nonnullas Galliæ Belgicæ ditiones præter antiquitates Gallo-Belgicas, porro cum varia peregrinationi Orbis miracula sedulo collecta afferret, Ernestus, & Albertus Austriae Archiduces, pluresque alii Nobiles, eruditique Viri non sine maxima voluptate ipsius Musæum accedebant, rarissimè spectaculis mirifice capti. Ceterum Cretelius plurimum aucta re familiari liberalis quidem erat in amicos literatos ac de se bene meritos, sui tamen ipsius adeo negligens, ut postumis vitæ causis pro symbolo uteretur pictura globi terrestris cum hac epigraphe: *contemno, & morbo suo exclamabat: nihil ego in hac vita relinquo, quo non possem, ac velle carere; tandem etiam ad summam ætatem cœlebs, & frugalis dies suos perducebat, & viribus per assidua studia ex-* hau-



haustis lenta tabe conficiebatur, ac die Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.  
vigesima nona Junii annos natus septua-  
ginta & unum Antverpiæ vivis ereptus  
est, sepultusque in celebri divi Michaelis  
Præmonstratensium Abbatia, ubi Ju-  
stus Lipsius arcta amicitia Ortelio con-  
junctus defuncto honorifica inscriptione  
funebri parentabat.

§. LVIII.

*Thomæ Stapletoni decessus.*

Inter celebriores Controversiarum Scri- Pitfeus de  
Ill. Angl.  
Thuan. l. c.  
Mencken. §.  
Halin in  
Lexic.  
ptores, qui hoc sæculo floruerunt, Tho-  
mas Stapletonus ex illustrissima Anglo-  
rum prosapia Hemfeldæ Suffexiæ Co-  
mitatus oppido natus, qui evoluto stu-  
diorum curriculo Latinæ, Græcæ, &  
Hebraicæ linguæ peritissimus ingenti  
semper ardore pro tuenda Religione Ca-  
tholica flagrabat, atque in Theologicis  
disciplinis versatissimus, & Doctor sane  
egregius sui ævi hæreticos validissime  
impugnabat, postea creatus Cicestriæ  
Canonicus: cum autem Elisabetha An-  
gliæ Regina Catholicos, & præcipue  
Sacerdotes dire vexaret, eosque regno  
excedere juberet, ipse etiam Stapleto-  
nus relicta patria sua Parisios, & de-  
mum Romam se contulit, inde vero re-  
versus, ac Theologica laurea decoratus,  
primo Duaci, postea Lovanii Theologiæ



Sæcul. XVI. Professor, ac regius sacrarum literarum  
 A. C. 1598. Interpres, necnon Canonicus ad divum  
 Petrum a Philippo II, Hispaniarum Re-  
 ge nominabatur, ubi crebras contra  
 Calvinistas, præcipue vero contra W-  
 thekerum controversias habebat, eorum-  
 que errores editis doctissimis lucubrati-  
 onibus refellebat, quas inter celeberrimas  
 sunt dissertationes de causa prævalentium  
 hæresum, de officio viri in  
 medios hæreticos agentis, de principiis  
 fidei, & de successione Ecclesiæ, necnon  
 de justificatione, præter apologiam recentioris  
 Ecclesiæ, & speculum pravitate hæreticæ,  
 Celebrantur quoque  
 ejus antidota evangelica, & Apostolica  
 anno millesimo quingentesimo nonagesimo  
 quinto Antverpiæ excusa, necnon ejusdem  
 Scriptoris promptuarium Morale, & Catholicum:  
 insuper plura adhuc alia varii argumenti  
 opuscula vulgavit, quæ omnia aliquot  
 tomis Lutetiæ Parisiorum junctim edita  
 profant. Harum lucubrationum fama  
 deo celebrem sese reddebat Thomas, ut  
 a Clemente VIII. Romam evocaretur,  
 purpura abs dubio honorandus: at-  
 tamen profectam ætatem obtendens hanc  
 dignitatem respuebat, inde vero Lovanium  
 reversus *Manuale peccatorum* itidem  
 Antverpiæ anno millesimo quingentesimo  
 nonagesimo octavo typis edit,



Sæcul.XVI.  
A.C.1598.

dit, conscripsitque libros duos de magnitudine Romanæ Ecclesiæ, quod opus postremus fuit celebris hujus Viri partus, qui tanquam posthumus nonnisi anno millesimo quingentesimo nonagesimo nono in lucem prodiit post ipsius mortem, quæ hoc anno die duodecima Octobris Lovanii contigit. Vixerat annos septuaginta, & unum, sepultusque fuit in Ecclesia divi Petri, ubi Canoniatum possederat.

## §. LIX.

*Mors plurium Scriptorum ex Ordine  
P.P. Prædicatorum.*

Currente hoc anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo octavo plures ex Ordine S. Dominici Doctores, qui Ecclesiam suis lucubrationibus illustrarunt, vivis erepti leguntur, quos inter primus erat Alphonsus de Catrera Hispanus Cordubæ natus, Concionator egregius, atque in Universitate Ossuncasi sacræ Theologiæ Professor, qui Philippo II., & III. ejus Filio a Concionibus per quatuor annos erat, præmatura tamen morte vix quinquagenarius die vigesima Novembris vivis ereptus. Scripsit Hispano idiomate perutiles considerationes in Evangelia præter sermones in honorem Philippi II, & tractatum de scrupulis. Alter erat Joannes Toutre

Eckard de  
Script.  
Præd.to.2.

C c 4 Gallus



Sæcul. XVI. Gallus patria Carnutensis theologi  
A.C. 1598. Magisterii laurea Parisiis decoratus, quæ  
 ab Henrico III. in aulicum Ecclesiæ electus hoc anno die decima Septembris obiit, posterisque reliquit suas enarrationes in Joëlem præter Conciones quadragesimales nondum typis editas. Tertio loco recensetur Medardus de Val Gallus itidem Carnuti natus, cujus conciones quadragesimales, & exhortationes ad Monarchas, necnon tractatus de opere sex dierum exstant. Celebratur etiam Joannes Baptista Lencius, Marcus Langella, Marcus Martinez, & Vincentius Aurinus præter Vincentium Colis, qui a Gregorio XIV. anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo primo die vigesima octava Februarii Venusinus Episcopus in Apulia renuntiatus, hanc Ecclesiam sex annis optime rexit, demum vero die tertia Martii meritis plenus ad coelum evolavit: scripsit Commentarios in libros Physicorum, & in libros de anima.

## §. LX.

*Quatuor Facultatum disciplina Henrici IV. Regis jussu restaurata.*

Postquam in Galliis instigante Parisiensi Senatu Jesuitæ ex Urbe fuerunt expulsi



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

pulsi, mox Universitas quosdam feligebat, qui corrigendis quatuor Facultatum statutis, necnon restaurandæ disciplinæ incumberent; sacra enim Facultas anno quidem millesimo quingentesimo octuagesimo septimo die tertia Octobris contra hæreticorum molimina, & tuendam fidem Catholicam varia statuta oppido utilia condiderat, his tamen nondum plene grassanti hæresum malo obviantibus nova hoc anno edere decrevit, ac ipsemet Rex Henricus IV., ut pium hoc propositum sua quoque firmaret auctoritate, hanc in rem sex celebriores Franciæ Viros nominabat; erant autem hi Reginaldus Belnensis Archipræsul Bituricensis, Harlæus primus Parisiensis Curia Præses, Guesleus Reginus Advocatus, Thuanus ejusdem Curia Præses, Seguius Prætor, & Faulconius Britannici Senatus Princeps, qui jam anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo quinto die nona Februarii una congregati Academia Parisiensis statuta pluribus in locis corrigere aggrediebantur: insuper anno salutis nostræ millesimo quingentesimo nonagesimo octavo die decima, & vigesima nona Maji necnon vigesima nona Junii Turnerochus Universitatis Syndicus & plura etiam proposuit statuta circa disciplinam: tandem vero ceteri

C c 5

teri



**Sæcul. XVI.**  
**A. C. 1599.**

teri omnes mense Septembri huic operi postremam admovent manus, moxque Parisiensis Senatus emendationis articulos ab eis propositos firmabat, quos tamen non nisi anno millesimo sexcentesimo die decima octava Septembris Jacobus Augustus Thuanius Præses, Lazarus Coquelæus, & Eduardus Mole Parisiensis Senatus Consultarii in Comitibus Universitatis publicis fecerunt, his tamen articulis plurimæ sacræ Facultatis Theologicæ statutis subsequenter annis, præcipue vero millesimo sexcentesimo decimo octavo, vigesimo octavo, & septuagesimo quinto addita, atque innovata fuere.

§. LXI.

*Renatus Benedictus in Universitate Parisiensis Decanum electus.*

*Argentvel.c.*  
*Vid. Hist.*  
*Ecccl. l.*  
**CLXXIV.**  
**§. VIII. &**  
*seq.*

Cum eodem hoc anno Dionysius Comus sacræ Facultatis Decanus mortalitatem exuisset, Renatus Benedictus sancti Eustachii Parochus juris antiquitatis ad hanc dignitatem vocabatur: quoniam vero hic idem, uti supra sæpius memoravimus, non modo errores in sua Bibliorum versione notatos retractare renuerat, sed insuper in sacræ Facultatis contemptum eandem versionem apologia edita calumniis, & mendaciis referta sparserat, hancque



Sæcul. XVI.  
A. C. 1599.

ob causam jam dudum a Facultate exclusus erat, hinc eadem illum emolumentis privare, atque ad gradus ei in Facultate destinatos admittere recusabat: attamen cum ab Henrico IV., cui semper favebat, anno millesimo quingentesimo nonagesimo tertio Medunta evocatus eundem Regem in fidei Catholicæ præceptis imbuisset, necnon ipsius ejurationi in templo sancti Dionysii præsens ad cives Parisienses in Regis obsequium reducendos præclaram navasset operam, atque ab eodem Rege Henrico Trecensis in Campania Episcopus nominatus esset, hinc perpensis hinc rationibus Facultas Renatum, quamvis hic summo Pontifice literas Apostolicas ad hunc Episcopatum denegante nunquam sua sede potiri valuerit, ad sacræ tamen Facultatis Decanatum admittere censuit, potissimum ex ea ratione, quod ipsius Biblia jamjam a Doctoribus Lovaniensibus ab erroribus expurgata, necnon a pluribus Theologiæ Doctoribus Parisiis approbata fuissent.

§. LXII.

*Octo Articuli Renato propositi, atque eosdem subscribere jussus.*

Priusquam Renatus Decani munus adiret, Facultas apud Sorbonam congregata hoc anno die secunda Aprilis

ab



**Sæcul. XVI.** ab eo petiit, ut publice se, suaque opera  
**A.C. 1599.** sacræ Facultatis iudicio submitteret,  
 quod etiam ipse mox præstitit, ac non  
 nulla de pace, concordia & charitate  
 præfatus alta voce sequentem submis-  
 sionis formulam a se subscriptam recita-  
 bat: *Facultatem Theologiæ Parisiensem*  
*Matrem agnosco. Ego me, meaque opera*  
*illius iudicio, & censuræ submitto. sed in*  
*primis Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, &*  
*Romanæ, a cuius fide, & decretis me neque*  
*scripto, neque verbo, neque ullo alio quo-*  
*vis pacto velle dissentire profiteor; unde*  
*si quid a me hætenus scriptum, aut de-*  
*cretum est, quod contra Ecclesiæ fidem, de-*  
*creta, & leges pugnare videatur, illud meum*  
*& pro omni tempore retracto: quare &*  
*Biblia, quæ meo nomine vulgata a Sede*  
*Apostolica, & hac ipsa Facultate damna-*  
*ta sunt, ego pariter damno, & ea saltem*  
*michi saltem ex parte tributa, & alienis*  
*respuo, Postea Facultas Joanni Turne-*  
*rocho Syndico negotium dabat, ut Re-*  
*nato octo articulos ipsius erroribus oppo-*  
*sitos prælegeret, quos ipse approbare,*  
*suoque sigillo firmaret. Equidem Re-*  
*natus hosce articulos verbotenus pro-*  
*nuntiabat, minime tamen illos sibi pro-*  
*bari apposito Chirographo testatum red-*  
*debat, nec etiam sacer Ordo rem fortius*  
*urgere voluit, eoquod ille saltem desi-*  
*gnatus esset Episcopus, atque aliunde*  
 Regi



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

Regi a confessionibus, & concionibus.  
Verum hanc Renati submissionem tum  
minus sinceram, sed duntaxat aucupan-  
di Decanatus cupiditate extortam fuisse,  
postmodum apparebat, prout ad an-  
num Domini millesimum sexcentesium  
primum recensimus.

§. LXIII.

*P. Ludovici Molinæ epistola ad  
Papam.*

Cum jam anno priori die vigesima se-  
cunda mensis Novembris Censores *Hist. contov. de Aux. l. 3.*  
ad recognoscendum primum examen se-  
lecti suum absolvissent judicium, ac si-  
gillatim una omnes (excepto Antonio  
Bovio Romæ Carmelitani Collegii Re-  
ctore) librum de concordia censuris per-  
strinxissent, publico imminentis damna-  
tionis rumore perterritus Molina præ-  
ter literas anno Christi millesimo quin-  
gentesimo nonagesimo octavo Conchæ  
die vigesima Septembris datas, ineun-  
te anno sequenti per Cardinalem sanctæ  
Susannæ Clementi VIII. per suos Pro-  
curatores ipsa die prima Januarii libel-  
lum supplicem porrexit, quo earum pro-  
positionum, quæ ex ejus libro decerptæ,  
atque a Censoribus fuerunt notatæ, ex-  
emplar sibi tradi eo fine efflagitabat, ut  
sux opinionis veritatem defendere, im-  
pactamque erroris calumniam a se amo-  
liri



Sæcul. XVI. liri valeret: hanc in rem igitur sequen-  
A.C. 1599. tem exarrabat epistolam:

Beatissime Pater!

**L**udovicus Molina humillimus Sanctitati  
 Vestre Orator exponit, quatenus effu-  
 xerit jam annus cum dimidio, ex quo sup-  
 ces Sanctitati Vestre literas dedit, libellus  
 que huic sanctæ Congregationi, ut, si quid  
 suo libro notatum esset, dignaretur Vestræ  
 Sanctitas efficere, ut Censuræ exemplar  
 li concederetur; scilicet ut posset respo-  
 dere, ac se defendere. Et quoniam, ut  
 ad ejus notitiam venit, nonnulli in Hispa-  
 nia, & alibi sparserunt in vulgus, ejus li-  
 brum esse censuris notatum, iterum suppliciter a  
 Vestra Sanctitate petit idem, quod ante-  
 tea, ut ipsi detur exemplar earum rerum,  
 quæ in ejus libro notatæ fuerint, sperans  
 benignitatem Sanctitatis Vestre non per-  
 missuram, ut in hac causa procedatur ab-  
 que eo, quod ille, qui est pars, possit au-  
 diri: sic enim fiduciam habet in Domino  
 Deo, se posse omnibus satisfacere, de sin-  
 gulis asserens rationem, sicut attulit, & sa-  
 tisfecit in Generali Inquisitione Lusitanæ,  
 in cujus Consilio alias hæc causa agitata est.  
 & in ejus favorem doctissimorum Theologorum  
 examine judicata, idque a Vestra Sanctitate  
 habeat pro singulari gratia, quam  
 Deus diutissime conservet incolumem. Ce-  
 terum ne P. Molinæ petitio ad eluden-  
 dam



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

dam damnationis sententiam excogitata videretur, urgente Claudio Aquaviva Societatis Generali Jesuitæ hanc adjunxerunt schedam, quæ plures continebat rationes, ejusdem Patris voto annuendum suadentes: hanc vero chartam studiose omnibus Cardinalibus Congregationi sancti Officii præpositis distribuebant, ut ipsi, penes quos judicium ferre erat, plene de petitionis interpositæ æquitate persuasi essent: porro harum summa erat hæc: I. Nemo indicta causâ damnetur. II. Pro dignoscendis causæ meritis utraque pars audiatur, id exigente argumenti gravitate. III. Cum Censores, quid in præfato libro reprehensione dignum offenderint, nunquam manifestare voluerint, necesse est, ut id mutua responsionum ponderatione patefiat. IV. Si Molinæ doctrina damnaretur, etiam cum illa Patrum, & Theologorum doctrina damnaretur. V. Hic idem liber in variis Hispaniæ locis, & tribunalibus fuit approbatus. Hæ erant illæ rationes, quas Historiæ Controversiarum Author die prima Januarii Papæ oblatas, atque eadem die a præfato Pontifice ponderatas, & usque adeo approbatas asserit, ut ipsemet adhuc hac die nulla interposita mora, nec consultis Cardinalibus, ac Theologis tam Dominicanorum, quam Jesuitarum

Gene-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

Generales accerferet, eisque injungeret, ut una cum suis Theologis ad hæc selectis coram Cardinali Madrutio Questitore Generali convenirent, ac de controversis capitibus mutuo conferrent. Ad hæc Pontificis jussa stupescit hæsit FF, Prædicatorum Generalis, admiratus, quod pro tuendo vice Molina integer Jesuitarum Orator exurgeret: Jesuitarum autem Generalis lætabatur, quod juxta ipsius vocatæ quæstio de gratia sufficienti, & efficaci dijudicaretur, aque ipse, sui que audirentur. Verumtamen has Jesuitarum rationes Dominicani eludebant, demonstrantes, quod Molina jam anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo quarto doctrinæ suæ rationem Madriti coram supremæ Inquisitionis Senatu reddiderit, sæpiusque auditus fuerit, atque ipsemet anno prioris pro sua defensione Romam scripta plurima transmiserit, nec non quam plurimi Societatis Theologi ex diversis Collegiis ad propugnandam ejusdem Patris doctrinam amplissima ediderint opuscula, ut proin Jesuitarum petitiones tanquam vana effugia, omnino sint explodendæ.



## §. LXIV.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1599.*Privatæ disputationis Consilium a  
Jesuitis propositum.*

**I**nterim Episcopi, ac Theologi ad reco-  
gnoscendum primum examen selecti, *Hist. Congr. l. 2. c. 4.*  
postquam rem matura deliberatione dis-  
cusserant, annuente Madrutio Cardinali  
harum Congregationum Præside, die  
duodecima Martii Gregorio Nunnio Co-  
ronello natione Lusitano Theologiæ Do-  
ctori, qui præfatæ Congregationi a se-  
cretis erat, anno salutis nostræ millesi-  
mo quingentesimo nonagesimo nono  
negotium dabant, ut singulorum censu-  
ras in unam contraheret, ac nomine o-  
mnium, prout inter eos jam antea con-  
ventum erat, unam conficeret censuram,  
cujus exemplar hodiedum in Angelica  
Augustinianorum Bibliotheca asserva-  
tur. Attamen jam antea Patribus So-  
cietatis hoc Consultorum propositum  
innotuerat, quapropter hoc fulmen tem-  
pestive declinaturi eo ferventius insiste-  
bant, ut Pontifex decretam maturaret  
disputationem, in qua Patres Societatis  
se nec Molinæ librum, nec ejus doctri-  
nam propugnaturus, sed duntaxat de  
gratiæ efficacia disserturos spondebant.  
Clemens VIII. hoc pacto inter litigan-  
tes doctrinæ concordiam revocatum iri  
sperans, privatæ huic collationi diem  
*Hist. Eccles. Tom. LII, D d vi-*



**Sæcul. XVI.**  
**A.C. 1599.**

vigesimam secundam Februarii alligabat, nullique parti suspectos confitebat arbitros scilicet Eminentissimos Cardinales Madrutium, atque Asculanum necnon Bellarminum, quorum postremus e Societate Jesu, secundus vero Ordine Fratrum Prædicatorum erat: pro coram his tam Fratres Dominicæ quam Jesuitæ convenerant, suaque colloquia usque ad diem decimam sextam Maji protraxerant: hoc item tempore Jesuitæ scriptum quoddam ab ejusdem instituti Theologis subscriptum divulgabant, cui titulus: *confutatio cujusdam sententiæ falsæ de efficacia divinæ gratiæ*. Verum hujus libri authores hostem, quem ferirent, nescivisse credebantur; quapropter Madrutius Cardinalis, cui prævata lucubrationis examen jussu summæ Pontificis demandatum erat, observabat, quod nequaquam physica Theologiarum prædeterminatio, sed longe alia ex ingenii arbitrio fabricata in hoc scripto fuerit impugnata, nec non facta Concilii Tridentini Decreta contra Calvinistas lata perperam adversus Anglicanæ Scholæ doctrinam contorta: imò præhabita tamen hac Cardinalis Censura Jesuitæ hunc eundem librum anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexto coram Paulo V. Pontifice



fice proferebant, quamvis haud magis benigno fato tum exceptus fuerit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

§. LXV.

*Mutuum inter utriusque partis Theologos colloquium.*

Præstituta vigesima secunda Februarii die utriusque partis Theologi de controversis quæstionibus inter se pacifice disputaturi prima vice Romæ conveniant, & quidem ex Ordine Fratrum Prædicatorum aderant Reverendissimus Pater Hyppolitus Maria supremus totius Ordinis Magister Generalis unacum suo Procuratore Generali, necnon Beccaria, Didaco Alvares, & Raphaela Ripa Theologiæ Magistris: ex Societate vero comparuerant Claudius Aquaviva Societatis Generalis, Michael Vasques, Christophorus Cobos, & Petrus Arubal. His una congregatis Madrutius Cardinalis hujus Colloquii Præses orationem habuit, in qua exponebat, quod inter utriusque Ordinis Religiosos ex opinionum diversitate animorum contentiones, ac dissidia fuisse enata, eaque indies aucta, non sine animi sui mærore percepisset, componendæ autem pacis studio accensus ad preces Regis Catholici tam Prædicatorum, quam Jesuitarum Generales, unacum selectis utriusque Ordinis Doctoribus convocaf-

Hist. Congr.

l. 2. cap. 5.

Hist. controv

l. 3. c. 6.

D d 2                      set,



Sæcul XVI.  
A.C. 1599.

set, ut ex mutua, & amica de quæstio-  
nibus controversis disputatione palam  
fieret, in quo doctrinæ diversitas comb-  
steret, & cuinam parti suffragaretur ve-  
ritas, quæ tandem auctoritate Aposto-  
lica confirmanda foret: sin vero alter-  
utra pars pervicaciter suæ sententiæ ne-  
glecto veritatis momento insistere vo-  
luerit, a Sanctitate sua pacem poenarum  
severitate reddendam minabatur. Ha-  
dictis Madrutius Magistro Generali Or-  
dinis Prædicatorum annuebat, ut ipse  
antiquitate prior peroraret, qui etiam  
hunc in modum exorsus inquiebat „  
„la nobis controversia est contra Socie-  
„tatem, sed unice adversus Molinæ do-  
„ctrinam, cujus novitas Ecclesiæ pacem  
„turbavit, atque mutuæ offensionis fons  
„& origo existit: quapropter hujus  
„bri examen institui efflagito, spondens  
„quod tunc, si ejusmodi doctrina aliquo  
„saltem probabilitatis jure defendi, atque  
„auctoritate Apostolica permitti poterit,  
„totus meus Ordo ejusmodi judicio  
„confestim obsecuturus sit: secus vero  
„hisce dissidiis aliud opportunius reme-  
„dium objici haud poterit, nisi Molinæ  
„liber damnetur, ac deinceps Societas  
„Divi Thomæ doctrinam ab Ecclesia  
„jam diu approbatam sequatur. „ Ve-  
rum hæc concordie ratio a Dominica-  
norum Generali proposita Jesuitarum  
Gene



Generali non arridebat; hinc prolixo sermone ostendere nitebatur, quod Societas semper divum Thomam in Scholæ moderatorem sibi adsciverit, hunc vero cœtum a Papa non ideo fuisse convocatum agebat, ut Molinæ liber damnaretur, sed discuteretur, utrum voluntas a gratia sic prædeterminetur, ut excutere illam, eique dissentire, si libeat, possit. Ad hanc Claudii Aquavivæ Generalis orationem Dominicanorum Generalis Procurator respondit, quod controversia unice circa Doctrinam in Patris Molinæ libro contentam verteretur, proin non ex alio argumento nova lis suscitanda foret: cum vero Michael Vasquez Societatis Theologus subjungeret, controversiam in eo sitam esse, *an ratione prædeterminationis physicæ in libero arbitrio haud amplius permaneret facultas ad resistendum motioni divinæ*, inde satis clare Pater Didacus Alvarez Ordinis Prædicatorum Theologus prospexerat, quod Patres Societatis haud amplius tanquam accusati, sed ut actores comparere, nec non Patres Dominicanos accusare intenderent, perinde ac si resistendi potentiam per prædefinitionem esse sublatam docuissent; eapropter præfatus Alvarez Angelicæ Scholæ iniquius hanc calumniam affingi demonstrans, dicebat, quod Pater Molina efficaciam

Sæcul. XVI  
A.C. 1599.

D d 3 actio-



Sæcul XVI.  
A. C. 1599.

actionis non Deo tanquam primo agenti, sed libero hominis arbitrio adscribat, proin priusquam discutiatur, an hæc efficacia physica vel moralis sit, omnino examinandum ajebat, utrum reipsa detur auxilium efficax, quod a Deo ipso, atque independenter a liberi arbitrii consensu efficaciam obtineat. His auditis Pater Christophorus Cobos e Societate Theologus pro sua, qua pollebat, ingenuitate fatebatur, quod in Molinæ æque, ac in Prædicatorum doctrina propositiones censura perstringendæ reperiantur, adeoque utrinque æquo jure procedendum sit. Hæc Jesuitæ declaratio assensum præbuit Madrutio Cardinali, ut tam Prædicatorum, quam Jesuitarum Generali præciperet, quatenus in secundo colloquio proxima hebdomada habendo suam quisque sententiam, atque pergnantia contra adversam partem argumenta, ac præcipue dissensionum momenta scriptotenus proponerent. His ita agitatæ primæ Congregationi finis imponebatur.

§. LXVI.

*Alterum utriusque partis colloquium.*

*Livin.  
Mayer Hist.  
controv. l. 3.  
c. 7.*

Igitur utriusque Ordinis Generales cum suis Sociis hoc anno die vigesima nona Februarii, qua alterum inter partes



partes litigantes colloquium habebatur, Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.  
 Romæ in Cardinalis Madrutii Palatio Serry Hist.  
Congr. l.c.  
 convenere, cunctisque confidentibus i-  
 dem Cardinalis paucis exponebat, quod c. 5.  
 de omnibus in nupero colloquio agita-  
 tis Pontificem certiozem fecisset, hic ve-  
 ro arreptum consilium approbans cun-  
 ctos hortaretur, ut cœpta ad prosperum  
 exitum deducere satagerent, hancque  
 in rem, prout jussi essent, rationum mo-  
 menta pro sua quisque opinione exhi-  
 beret. Ad hæc Fratrum Prædicatorum  
 Generalis mox reposuit: „Mihi, meo-  
 „que Ordini nec cum Societate, nec cum  
 „ejus doctrina res, sed duntaxat contra  
 „novum Molinæ systema Hispanicæ In-  
 „quisitioni denunciatum quorundam  
 „fervet Theologorum controversia, circa  
 „quam respondere ego, meique existunt  
 „parati: de cetero autem minus æ-  
 „quum videtur, quod Jesuitæ paulo an-  
 „te rei, nunc actores esse velint, vete-  
 „remque doctrinam ab Ecclesia com-  
 „muni suffragio approbatam de verita-  
 „te suspectam reddere contendant: „  
 His dictis chartam, in qua sex Molinæ  
 propositiones, quas sui Ordinis Docto-  
 res erroneas esse censebant, contine-  
 bantur, Cardinali Madrutio obtulit, &  
 converso ad Jesuitas sermone subjun-  
 xit: „si hæc assertiones vobis haud pro-  
 „babiles esse videntur, eas velut censu-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

„ra dignas nobiscum respuite: sin vero  
 „meis Theologis illas impugnantibus  
 „respondete, atque ex mutua hac colle-  
 „tione veritas, vel falsitas patebit.  
 Verum Aquaviva Jesuitarum Generalis  
 caussam Molinæ non agi rursus respon-  
 dens, ex tribus, quas attulerat, chartis  
 unicam duntaxat Madrutio Cardinali  
 porrigebat, qui illam prælegi iusserat,  
 eoquod quatuor contineret propositiones,  
 quas Jesuitæ in Dominicanorum  
 sententia sibi minus probari asserbant.  
 Porro cum Prædicatores identidem pri-  
 mam controversiam de Molinæ libro  
 prius discussam vellent, Societatis Præ-  
 positus hæc subjunxit: „Equidem Fra-  
 „tres Prædicatores in Molinæ libro pro-  
 „positiones censura dignas invenerunt:  
 „verum mei quoque Theologi pariter  
 „in Bannesio, quæ reprehenderent, jam  
 „pridem deprehenderunt: prius igitur Do-  
 „minicani suum vendicent Bannesium  
 „& ego quoque de Molinæ doctrina sen-  
 „tentiam meam proferre haud cuncta-  
 „bor: „ Ad hæc Fratrum Prædicato-  
 rum Generalis reposuit: „Molinæ caus-  
 „sa Censuræ judicio jam antea de-  
 „mnata, necnon hujus doctrinæ accu-  
 „satio a Sede Apostolica recepta, de Ban-  
 „nesio autem hucusque nulla adhuc  
 „lis fuit mota, igitur pristinæ accusatio-  
 „nis culpam velle reciproca criminatio-  
 „DE



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

„ne ex invidia diluere, miserum est ef-  
 „fugium.„ Tum ergo mutuis ejusmo-  
 di contentionibus inter partes concor-  
 dia adeo non reddebatur, ut ex perti-  
 naci opinionum diversitate acerbior in-  
 dies animorum dissensio oriretur, hinc  
 Cardinalis Madrutius enuntiabat, quod  
 de hujus Colloquii successu summum  
 Pontificem certiorem reddere, ejusque  
 jussa, quid deinceps agendum, præsto-  
 lari velit. Soluta hoc conventu Præposi-  
 tus Generalis Jesuitarum secreto Cardi-  
 nalem accedens eidem reliquas duas  
 chartas tradidit, rogans, ne illas Patri-  
 bus Dominicanis communicaret, donec  
 hi vicissim suæ sententiæ momenta, at-  
 que adversæ opinionis errores exposuis-  
 sent. Fratres Prædicatores cum probe  
 prospicerent, quod eorum adversarii li-  
 tis prius motæ decisionem tædiosa pro-  
 telatione declinare quærerent, hinc sa-  
 cri Officii Congregationi porrecto li-  
 bello supplicabant, ut omissis hisce con-  
 ventibus duntaxat de Molinæ libro a-  
 gatur, de aliis vero omnino silentium in-  
 dicatur. Vix Jesuitæ hac de re noti-  
 tiam hauserant, cum illico libellos sup-  
 plices concinnarent, eosque per cunctas  
 Inquisitorum Cardinalium domos cir-  
 cumferrent, Dominicanorumque doctri-  
 nam tanquam suspectam eo ex capite  
 accusarent, quod sententiam suam de

D d 5 quæ-



Sæcul. XVI. quæstione agitata profiteri tergiver-  
 A.C. 1599. rentur.

## §. LXVII.

*Privata utriusque partis molimina.*

*Hist. controu.* Cum alterum hoc colloquium rursus  
*l. 3. c. 7.* optato frustraretur successu, tertium  
*Hist. Congr.* in diem tertiam Martii indicebatur: in-  
*l. c.* terea vero haud exiguum Jesuitarum  
*Argentre* rebus accessit emolumentum, dum ex  
*coll. judic. to.* eadem Societate eadem die Robertus  
*3. part. 2.* Bellarminus Cardinalium Collegio a  
*p. 168.* Clemente VIII. adscriberetur; hic e-  
 nim doctrinæ suæ fama tam prospere  
 summi Pontificis animum in Jesuitarum  
 vota inclinabat, ut Madrutio utrius-  
 que partis petitionem exponenti Cle-  
 mens Papa coram congregatis sacri Of-  
 ficii Cardinalibus die quarta ejusdem  
 Mensis præciperet, ut seposita Molinæ  
 causa lis de auxiliiorum efficacia per-  
 tractaretur: insuper idem Pontifex die  
 undecima Martii Madrutio Cardinali  
 Asculanum, & Bellarminum Cardina-  
 les in laboris subsidium adjunxit. His  
 tamen insuperhabitis die sequenti Cen-  
 sores ad primi examinis recognitionem  
 selecti censuram de Molinæ libro pro-  
 nuntiatam, atque omnium nomine a  
 Coronello Doctore concinnatam sacre  
 Congregationi obtulerunt, quæ etiam  
 censura



censura a Madrutio Cardinali, ceteris-  
 que omnibus excepto solo Bovio die Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.  
 duodecima Martii hoc anno approbata  
 est: cum vero Bellarminus jam semel  
 auctoritate, qua pollebat, summum Pon-  
 tificem eo induxisset, ut Fratres Prædi-  
 catores litem contra Molinæ doctrinam  
 prosequi præpedirentur, facile etiam ab  
 eodem Papa obtinuit, ut is præcipua de  
 auxiliis capita, seu quæstiones ab utra-  
 que parte proponi, ac perpendi juberet:  
 quapropter Bellarminus sex conscripse-  
 rat quæstiones, quæ utriusque Ordinis  
 Generalibus eo fine traderentur, ut in  
 proximo Conventu sua desuper respon-  
 sa darent.

§. LXVIII.

*Tertium Colloquium.*

Præstituta die Madrutius Præses una-  
 cum Bernerio Asculano, & Bellar- Hist. Congr.  
l.c.  
 mino, Fratrum Prædicatorum, ac Je-  
 suitarum Generalibus, eorumque Theo-  
 logis præfatas sex quæstiones scripto e-  
 ditas proponebat, quarum summa hæc  
 erat. I. An ad eliciendam liberam mor-  
 taliter bonam operationem necessaria  
 sit physica prædeterminatio. II. Utrum  
 ad realem entitatem actionis malæ ho-  
 mo a Deo physice prædeterminetur.  
 III. An gratia efficax in physica Dei  
 prædefinitione, vel in congrua Dei vo-  
 catione



Sæcul. XVI.  
A. C. 1599.

catione consistat, IV. An Gratia sufficiens sit homini intrinseca, & competenter sufficiens ad actum primum sine prædeterminatione. V: An Deus cognoscat infallibiliter omnia futura contingentia, quæ positis his, vel illis conditionibus futura essent. VI. An voluntate requiratur indifferentia, quæ positis omnibus ex parte actus primi requisitis possit in sensu composito operari. Equidem ad hæc quæstiones quivis Scholæ Thomisticæ discipulus facili negotio respondere potuisset, Fratres tamèn Prædicatores, cum illas Cardinali Bellarmino concordi Jesuitarum voluntate eo fine concinnatas existimarent, ut omisso Molinianæ doctrinæ examine nova lis adversus eos moveretur, ad sex hæc propositiones respondere detrectarunt, polliciti, quod alias quæstiones proposituri essent. Ne eorum promissis fidei constantia deerat, quippe intra paucos dies alias concinnabant quæstiones, quas Madrutius Cardinalis ex Fratrum Prædicatorum Apologia desumptas Cardinalibus Ascanino, & Bellarmino tradidit utriusque Ordinis Generalibus, eorumque Theologis communicandas: harum vero summa hæc erat: I. Utrum ante bonum liberi arbitrii usum, ut disponatur ad justificationem, & salutem, necessaria sit præ-



Sæcul.XVI.  
A.C.1599.

destinatio. II. Utrum posita ejusmodi prædestinatione nulla libertas homini ad præfatam dispositionem, vitamque æternam consequendam relinquatur. III. Utrum prædefinitio divina sit de se causa efficiens ejusmodi actum. IV. An auxiliorum efficacia vel ex illismet ipsis, vel ex ipso libero arbitrio oriatur. V. Utrum divina prædestinatio sit diminuta in effectibus, seu mediis necessariis ad salutem, & justificationem. VI. An prædestinatio se efficaciter extendat ad bonum illum liberi arbitrii usum. VII. An talis usus sit duntaxat præscitus a Deo, non autem prædestinatus. VIII. An talis bonus usus præscitus sit ratio prædestinationis. Die vigesima nona Martii in quarta Inquisitorum Congregatione, quæ tertia partium collatio erat, Bellarminus ad propositas suas sex quæstiones primo a Fratibus Prædicatoribus respondendum esse contendebat: si vero id ab eis obtineri non posset, saltem decerni postulabat, ut eodem tempore utriusque partis quæstionibus simul ambo responderent. Ex adverso Prædicatorum Generalis annuente Bernerio Cardinali ad Jesuitarum quæstiones respondere renuebat, nisi prius Jesuitæ ad propositiones a Dominicanis politas sua responsa darent: ast mutua  
hac



**Sæcul. XVI.** hac altercatione tempus terebatur, re  
**A.C. 1599.** que infecta discessum est.

## §. LXIX.

*Jesuitæ ad Dominicanorum quæstio-  
 nes prius respondere jussi.*

**Hist. controu.** Die decima quinta Aprilis habita est  
**l. c.** coram summo Pontifice Clemente  
**Hist. Congr.** VIII. alia Cardinalium Inquisitorum  
**l. 2. c. 5.** Congregatio numero quinta, in qua Car-  
 dinalis Madrutius utpote harum Congre-  
 gationum Præses, quæ in priori collo-  
 quio ultro, citroque agitata fuere, ex-  
 ponebat, significans, quod Fratres Præ-  
 dicatores ad Jesuitarum quæstiones pri-  
 mi respondere, & quidem ex eo capite  
 detrectarent, eoquod ipsi non modo an-  
 tiquitatis prærogativa priores essent, sed  
 etiam hac in causa primi Actores inter-  
 rogata conscripissent, ad quæ Jesuitas  
 utpote accusatos respondere oporteret.  
 de cetero autem ipsi quoque postea ad  
 quæstiones a Bellarmino propositas re-  
 spondere ultro parati forent. Perceptis  
 hisce rationibus summus Pontifex de  
 petitionis æquitate convictus decerne-  
 bat, omnino Religionis antiquitati eum  
 honorem esse deferendum, nec non Jesui-  
 tas adigendos, ut ad aliquandam Mo-  
 linæ causam omissis Bellarmini quæstio-  
 nibus primo ad eas responderent, quas  
 Cardinalis Madrutius ex Fratrum Præ-  
 dica-



dicatorum doctrina proposuisset. Al-  
 tera die idem Purpuratus hanc Pontifi-  
 cis sententiam Jesuitis significans, præ-  
 cepit, ut ad octo quæstiones nuperrime  
 a se propositas scripto responso Domi-  
 nicanis satisfacerent. Itaque Societa-  
 tis Generalis hisce mandatis parere com-  
 pulsus responsiones suas Madrutio Car-  
 dinali obtulit, de quibus tamen Fratres  
 Prædicatores mox suum iudicium pro-  
 ferentes declarabant, Societatis respon-  
 sa pro eliciendo vero discrimine, quod  
 tamen inter utramque sententiam  
 quæreretur, parum idonea esse: alia  
 ergo proponenda, quæ ipsum diffidii  
 caput recta peterent. Postea iidem suas  
 responsiones præfato Cardinali trade-  
 bant, quas ipse unacum Jesuitarum re-  
 sponis die vigesima tertia ejusdem  
 mensis in sexta Cardinalium sancti Of-  
 ficii congregatione coram summo Pon-  
 tifice exhibuit: cum vero Jesuitæ in ter-  
 tiæ quæstionis expositione vocem *Præ-*  
*definitio* omisissent, in responsione au-  
 tem ad septimam quæstionem bonum  
 usum liberi arbitrii non modo præsci-  
 tum, sed & prædestinatum esse affi-  
 masent, hinc a summo Pontifice hujus  
 omissionis rationem reddere jubeban-  
 tur, mox vero haud ambiguis verbis  
 declarabant, quod physicam prædeter-  
 minationem voluntatis ad actus liberos  
 ad

Al-Sæcul. XVI.  
 A.C. 1599.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599. ad justificationem necessarios negarent,  
hinc Fratres Prædicatores interrogati,  
qua ratione ipsi vocem *Prædefinitus* ad-  
didissent, hunc in modum responderunt  
„illam vocem ideo addidimus, ut non  
„modo efficax Dei prædestinatio homi-  
„nem ad vitam æternam ordinare si-  
„gnificaretur, sed etiam media efficacia  
„ad salutem consequendam ante præ-  
„cognitum arbitrii bonum usum futu-  
„rum prædefinita ostenderentur: an ve-  
„ro hæc media prædefinita, sint duntaxat  
„ex parte objecti, & moralia, vel an  
„etiam interius a Deo immissa, fir-  
„mitate prius efficacia gratiæ in ratio-  
„ne causæ moventis nullatenus a libe-  
„ri arbitrii consensu dependente, seu  
„sum nostrum requisiti aperiemus, eum-  
„que sacris literis, & SS. Patribus omni-  
„no consonum esse demonstrabimus.  
Postea iidem Prædicatores Jesuitarum  
responsiones trina censura notabant.

## §. LXX.

*Septima, & octava Congregatio.**Hist. l. c. 3*

Hucusque mutuis ejusmodi velitationibus nihil actum videbatur, quæ circa Claudius Aquaviva supremus Societatis Moderator die quinta Maji dato libello supplici Madrutium Cardinalem rogabat, quatenus Sanctitas sua præciperet Patribus Dominicanis, ut



propositis a Bellarmino quæstionibus <sup>Sæcul. XVI.</sup> responderent, & congregati utriusque <sup>A.C 1599.</sup> partis Theologi clare statuerent, in quibus vel convenirent, vel discreparent: insuper petebat, ut simul Jesuitis non denegaretur, quod etiam quæstionem de prædeterminatione physica movere valerent, quamvis Fratribus Dominicanis concessum fuisset, ut ipsi priores a quæstione de efficacia gratiæ inchoare possent: verum Clemens VIII. hæc Jesuitarum petitiones minus ratas habens nequaquam Dominicanos, ut ad Bellarmini quæstiones in septima sacri Officii congregatione responderent, adigi voluit, sed potius die sexta Maji perlectis Fratrum Prædicatorum censuris, seu adnotationibus ad Jesuitarum responsiones præcepit, ut Societatis Theologi mentem suam clarius aperirent, quatenus tandem inde dignosci posset, in quibus cum adversa parte convenirent, vel ab ea discreparent: ut ergo hac in re sine ambiguitate procederetur, ipse Cardinalis Madrutius Pontificis voluntatem utrique parti denuntiavit, & totam controversiæ summam ad tres propositiones ex Fratrum Prædicatorum responsionibus depromptas redegit, easque die Dominica ante Christi ascendentis Festum decima sexta ejusdem mensis in octava Congregatione coram Car-

*Hist. Eccles. Tom. LII,*

E e di-



Sæcul. XVI

A.C. 1599.

dinalibus arbitris, atque utriusque Ordinis Doctoribus scripto exposuit: erant autem sequentes "I. liberum arbitrium, ad actus, quibus homo ad justificationem disponitur, & ad salutem pervenit, concurret ex innata libertate tantquam causa secunda mota a primo efficientis gratiæ auxilio. II. Auxilia efficiacia ut sunt a Deo, & ex se includunt respectum ad consensum futurum liberi arbitrii tanquam causæ efficientis ad suum effectum, nequaquam tantamen velut ad aliquid, ex quo pendet efficacia auxilii ad movendum ipsum liberum arbitrium. III. Auxilia sufficientia in hoc sensu redduntur a libero arbitrio inefficacia, quod homine obiectum, ad quem disponere nata sunt, nunquam tamen in hoc sensu, quod reddat inefficacia illa auxilia, quibus movetur a Deo in instanti justificationis, cum ex se, & ut veniunt a Deo, sint efficacia.," Jesuitæ cum hucusque nunquam aperuerint, an circa hæc doctrinæ capita cum Dominicanis consentirent, vel ab eis discreparent, hinc in quarto Theologorum Colloquio interrogabantur, utrum in hisce articulis cum Fratrum Prædicatorum doctrina conveniant: hi ergo palam admittebant, quod detur prævenientis gratiæ auxilium



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

lium a sufficienti distinctum, & tam intellectu, quam voluntati intrinsicum, supernaturale, immissum a Deo, movens voluntatem ad actum determinatum, seque non modo ex parte objecti, sed etiam potentiae tenens, quo posito infallibiliter homo convertatur: attamen hac ipsa declaratione nondum satis constabat, an Jesuitæ hujus auxilii efficaciam ex arbitrii consensu, & congrua Dei motione, vel ex ipsa vi, & motione intrinseca physice arbitrium determinante oriri dicant, eapropter de modo, quo gratia illam efficaciam, & infallibilitatem sortiatur, agendum supererat, nec tamen unquam Jesuitæ adduci poterant, ut hac in re aperte mentem suam oretenus panderent: hinc colloquium solvere oportebat, die tamen vigesima ejusdem mensis Societatis Generalis circa modum efficaciae divini auxilii Madrutio Cardinali scriptum quoddam tradebat quinque propositiones completens, quas ab omnibus Dominicanis affirmari, a Jesuitis vero negari asserebat, re autem per eundem Cardinalem comperta mox altera die Dominicani alias quatuor propositiones Thomisticae doctrinae circa gratiae efficaciam adversas exponebant, quas unacum Jesuitarum scripto Cardinalis Madrutius vicissim ad utramque partem transmittens, an quicquam

E e 2

quam



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

quam contra illas proponendum haberent, se lubenter auditorum declarabat: verum licet Dominicani in sua expositione perspicue asseruissent, quod efficacia gratiæ non in sola motione moralis, sed physica ante prævium liberi arbitrii usum consisteret, nihilominus Jesuitæ Dominicanos apud Cardinalem Madrutium insimulabant, perinde ac si verum controversiarum caput, scilicet prædeterminationem physicam omnium liberorum actuum, etiam malorum, in suo scripto non tetigissent: vicissim vero Fratres Prædicatores redarguebant Jesuitas, quod non, quid ipsi sentiant, sed duntaxat quid non sentiant, exposuerint: itaque Cardinalis ad Societatis Theologos conversus illos his verbis alloquebatur: „ne gravemini novam expositionem vestræ de gratiæ efficacia sententiæ scripto quam clarissime concipere, quod ego scriptum Patribus Dominicanis communicare possim, & sic omnes eorum de vobis suspiciones abstergere: „ jussis parvare Jesuitæ, ac die vigesima octava Maji quinque propositiones porrigebant, in quibus tamen adhuc silentio prætermittebant, an tota gratiæ efficacia a Deo foret, vel partim a libero arbitrio tanquam a causa illius efficiente penderet? quæ propter Dominicanos die octava Junii hoc



Sæcul. XVI.  
A.C.1599.

hoc anno præcipue, ut omnem quæsitæ tergiversationis sibi a Jesuitis objectæ invidiam amolirentur, scriptum quoddam divulgabant, quo permotus Cardinalis Patribus Societatis injunxit, *ut ad tres illas propositiones mense superiori propositas ita responderent, ut clare, & integre haberi possit resolutio ad hoc, ut difficultate illa superata favente Deo ad ulteriora procedi valeat.* Accepto hoc mandato Jesuitæ edito vicissim scripto totam procrastinationis culpam in Dominicanos rejecerunt: nihil autem novi protulerunt, quo suam de gratiæ efficacia a solo Deo dependente mentem clarius aperiebant. Hæc agendi ratio summo pere Madrutio Cardinali displicuit, quapropter Asculanum Cardinalem accedens querebatur, quod parum decora tergiversatione jam integrum semestre consumptum fuerit, quin verus controversiæ status ex utriusque partis sententiis elici potuerit. Asculanus respondit: „equidem Fratribus Dominicani cordi non est, prædeterminationem physicam publicæ concertationis discrimini exponere: obtulerunt tamen Jesuitæ alia capita circa modum, & causam efficaciz divini auxilli: de his igitur disputationem haberi æquiori animo Fratres Prædicatores patientur. „ Placuit Madrutio consilium:

E e 3 qua-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

quapropter juncta opera totam quaestionis summam ad duo capita redegit, eaque die vigesima tertia ad Bellarminum Cardinalem transmisit, ut ipse circa ea mentem suæ Societatis proferret: cum autem hæc duæ propositiones genuinam divi Thomæ sententiam complecterentur, Dominicani eadem adhuc die absque ulla restrictione ad hæc capita responderunt: Jesuitæ vero primum die quinta Augusti suam porrigebant responsionem, quam Fratres Prædicatores variis adnotationibus castigabant: nec tamen suis partibus deerant Jesuitæ, quamprimum enim illas observationes per Bellarminum Patres Societatis die decima septima Novembris receperant, mox contrarias adnotationes ad Patrem Procuratorem Ordinis sancti Dominici die decima nona ejusdem mensis transmiserunt, ubi tamen observandum venit, quod iidem a Dominicanis reprehensi, eoquod contra summi Pontificis, & Hispaniæ Regis mandatum Fratrum Prædicatorum doctrinam Calvinismi nota in suis observationibus perstringere non dubitarint, ad diluendam hanc culpam responderint: nos dicendo, nullum Doctorem Calvino antiquiorem, gratiam de se efficacem docuisse, illum non in doctrina, sed in antiquitate cum Doctoribus comparavimus. Ceterum has Jesuitarum

Not. PP.  
Societ. ad  
observ. PP.  
Præd. apud  
P. Livinum  
S. J.



tarum adnotationes a Patribus Domini-  
 canis fuisse confutatas, anno sequenti  
 recensimus. Interim Fratres Præ-  
 dicatores tot inutiles verborum amba-  
 ges pertæsi apud sacri Officii Cardinales  
 querebantur, "quod relicta Molinæ  
 „caussa nil aliud intenderetur, quam ut  
 „debitis pœnis hic Author jam convi-  
 „ctus, reusque eximeretur: prorsus au-  
 „tem indignum foret, quod ipsi tanquam  
 „Consultores sacri Officii hæctenus ad  
 „hosce cætus vocati essent, cum calli-  
 „dis adversantium consiliis in ima sub-  
 „sellia detruderentur, Jesuitæ vero  
 „in id unum intenti essent, si qua via  
 „possent, imminens in se fulmen da-  
 „mnationis in Judices, & Delatores suos  
 „avertere. „ Insuper Franciscus Pegna  
 Rotæ Romanæ Auditor, ac Decanus  
 Clementi VIII. summo Pontifici expone-  
 bat, quod omnis controversiæ cardo in  
 Molinæ libro verteretur, hoc autem er-  
 roris fonte expurgato brevi peroptata  
 consensus reditura foret. Hæ quere-  
 læ tantum apud Papam prævalebant,  
 ut communis fama increbresceret, fore,  
 ut brevi Molinæ liber damnaretur.

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1599.

*Hist. controv.  
 de auxiliis  
 P. Livini  
 S. J. 1. 3. c. 12*

§. LXXI.

*Francisci de Avila Dominici liber,  
 ejusque fata.*

E e 4 Eodem



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

*Hist. Con-  
trov. de au-  
xil. 1. 3. c. 14.*

Eodem hoc anno Franciscus D'Avila  
feu de Avila Ordinis Fratrum Prædi-  
catorum Theologus Romæ, quo sub  
dem tempus quemdam Cardinalem comi-  
taturus venerat, tractatum de di-  
vinæ gratiæ auxiliis adversus Molinam  
Romanis literis excudi curabat, in quo  
suppresso tamen Societatis nomine, Cal-  
vinismi calumniam Dominicanis impa-  
ctam mutua criminatione ulturus de-  
monstratum ibat, quod Molinæ doctri-  
na sanctorum Patrum, ac Conciliorum  
menti adversa Pelagii, & Semipelagia-  
norum hæreses, aliasque novitates ec-  
clesiasticis censuris jam dudum damna-  
tas resuscitet. Hic liber summo Ponti-  
fici ab ejus Auctore dedicatus, ac per-  
eleganti forma editus maximo applau-  
su Romæ excipiebatur, passimque Car-  
dinalium, atque aulæ Pontificiæ Præla-  
torum manibus terebatur: inde vero  
Jesuitæ sinisterum rebus suis omen præ-  
sagientes Clementi VII. libellum sup-  
plicem offerunt, in quo Patrem Fran-  
ciscum veluti cæptæ pacis perturbato-  
rem, Pontificique mandati transgredi-  
entem incusantes hunc librum supprimi  
rogabant, quod & factum est; divulga-  
to autem hujus libelli supplicis tenore  
Fratres Prædicatores Magistro Avilæ  
negotium dederunt, quatenus Jesuita-  
rum querelis ita responderet, ut ad u-  
nius



nius Molinæ caussam jamjam a Consul- Sæcul.XVI.  
toribus dijudicatam unice sese restrin- A.C. 1599.  
geret: quapropter Avila prolixum e-  
didit commentarium itidem summo Pon-  
tifici nuncupatum, in quo ea, quæ Mo-  
linæ imputabat, vere ab eo scripta fuisse per plura testimonia ex ejus libro de-  
cerpta comprobatum reddebat, rogans,  
ut summus Pontifex ipsius dissertationi  
interim suppressæ lucem, libertatemque  
restitueret: de cetero autem omnia ju-  
dicio, ac prudentiæ Sanctitatis suæ se  
subjecturum spondebat, nec tamen suis  
partibus defuerunt Jesuitæ, qui mox e-  
dito libro Molinam defendendum susce-  
perunt. Ita integer hic annus nonnisi  
mutuis colloquiis, scriptis, atque alter-  
cationibus insumebatur, quin adhuc,  
quid genuine utraque pars in quæstione  
de auxiliis sentiat, in aperto esset, nec  
ulla pars in alterius sententiam descen-  
deret.

§. LXXII.

*Nuptiæ inter Barrensem Ducem, &  
Catharinam Franciæ Regis  
Sororem.*

Exeunte mense Januario in Galliis nu-  
ptiæ inter Henricum Lotharingium  
Barrensem Ducem, & Catharinam Hen-  
rici IV. Franciæ Regis Sororem, celebra-  
tæ

*Daniel Hist.  
de France to.  
10. l'ann.  
1599.*



Sæcul. XVI. tæ sunt; jam equidem inter utrumque  
 A.C. 1599. pactis conditionibus de ineundo hoc  
 Thuan. Hist. connubio agebatur: cum autem Catha-  
 4. 122. rina non modo Calvini hæresi infecta  
 Spond. ad sed etiam in tertio, quartoque confan-  
 hunc ann. n. 8. guinitatis gradu sponso suo conjuncta  
 esset, hinc summus Pontifex datis ad Do-  
 cem literis eundem hortabatur, ut a  
 præfati matrimonii proposito desisteret,  
 nec illustrissimam Lotharingiorum do-  
 mum Religionis studio celeberrimam  
 incæltis ejusmodi nuptiis, ac hæreticæ  
 pravitate veneno inficeret: verum Dux  
 impense Clementem Papam rogabat, ut  
 legis gratiam facere vellet, eo autem  
 firmiter reluctante, Lotharingius Regis  
 offensionem veritus, necnon amplioris  
 sortis dignitate illectus hoc connubium  
 perficere statuit, spe fretus, fore, ut se-  
 mel contracto matrimonio non solum  
 dispensationis gratia facilius impetrari,  
 sed etiam ipsamet sponsa ad cognoscen-  
 dam veræ fidei veritatem ejurata Cal-  
 vini hæresi perduci valeret: reluctaban-  
 tur tamen omnes Franciæ Præsules, nul-  
 lusque sine prævio summi Pontificis ab-  
 sensu sponso solemnique precatione con-  
 jungere audebat: tandem vero Carolus  
 Borbonius Rotomagensis Archiepiscopus,  
 Regisque Frater Spurius precum,  
 minarumque importunitate expugna-  
 tus Catharinam nec ab hæresi, nec a  
 cogna-

Epist. Cath.  
 ad Plessium  
 Et Plessii ad  
 Cath. 30.  
 Maji 1599.



cognitionis vinculo solutam Henrico <sup>Sæcul.XVI.</sup>  
 Lotharingio copulabat: porro Dux, ut <sup>A.C. 1599.</sup>  
 conjugem suam sensim a fidei errore a-  
 verteret, postea illam frequentius im-  
 pulit, ut cum Doctoribus Catholicis præ-  
 cipue cum Patre Cammoletto Jesuita de  
 Religionis nostræ articulis ageret: ve-  
 rum Calvinistarum nonnulli, atque inter  
 eos præprimis Philippus Plessius Mor-  
 næus Catharinæ, apud quam plurimum  
 gratia valebat, varios libros, atque epi-  
 stolas hæretico veneno plenas studiose  
 submiserunt, ut illam magis, magisque  
 in suo errore firmarent: nec perverfis  
 eorum conatibus prosper defuit succes-  
 sus, quippe Ducissa adeo pertinaciter  
 suæ sectæ insistebat, ut duntaxat suo  
 Sponso complacendi studio ad fidei col-  
 loquia accederet, & quondam ad suum  
 Plessium jocans perscriberet, quod tunc,  
 quamprimum ipse in Papam foret eli-  
 gendus, ipsa Missam accedere vellet:  
 attamen justo Dei judicio factum, ut  
 quamvis summus Pontifex tertio post  
 anno dispensationem concessisset, ipsa  
 tamen illius beneficio haud frui posset,  
 cum nuntius gratiæ factæ literas in Lo-  
 tharingiam nonnisi post obitum hujus  
 Principis deferret, quæ die decima ter-  
 tia Februarii anno restauratæ salutis  
 millesimo sexcentesimo tertio suæ hæ-  
 resi immortalis periit,

§. LXXIII.



Sæcul. XVI.  
A. C. 1599.

§. LXXIII.

*Belgium ob Fœderatorum Protestan-  
tium molimina variis tumultibus  
agitatum.*

*Thuan. l. 121  
Gallut. de  
bello Belgico  
lib. II.*

Interea Belgium ob diversa partium studia crebris jactabatur tumultibus & quidem ineunte hoc anno tam Fœderati, quam ceteri Imperii Principes graviter adversus Mendozam, atque regni exercitus Præfectos querebantur, quos Clivienses, Vestphalos, Schaumburgicos, & Benthimios aut suis ditionibus spoliassent, aut per vim ad milites in Hyberna recipiendos coegissent, & multa, eaque sat funesta crudelitatis, luxuriae, & avaritiæ specimina reliquissent: quapropter Palatinus Elector, Brunsvicensis Dux, Hassiæ Landgravius, Clivæ Dux, aliique complures Principes litem ferro dirimendam, necnon damna armis reparanda censebant: ferocibus tamen hisce consiliis obstitit Ernestus de Bavaria Coloniensis Archiepiscopus, atque Elector, qui rem amica negotiatione componendam ratus, ceteros eo inclinabat, ut priusquam ad arma descenderent, ad Cæsarem literas darent, rogantes, quantum interposita auctoritate sua Mendozæ, Cardinali Andreae, ceterisque regni exercitus Præfectis, ut occupata Imperii



rii loca quantocius relinquerent, præci-  
peret, quod & præstitit Imperator, cui  
præfatus Cardinalis, & Mendoza, quan-  
tum regii exercitus necessitas permise-  
rat, lubenti animo paruere, iratosque  
Principes officiosis saltem verbis, & pro-  
missis demulcere sategerunt. Subidem  
quoque tempus Franciscus Mendoza re-  
gii exercitus Dux Religionis restauran-  
dæ studio accensus Vesalienses pollicita-  
tione, minisque induxerat, ut missis ad  
ipsum Delegatis se catholicæ fidei rur-  
sus amplectendæ paratissimos profite-  
rentur. Mendoza hisce verbis nimia le-  
vitate fidem adhibens Coriolanum Gar-  
zadorum Pontificium Colonix Nuntium  
datis literis rogabat, ut ad populum in  
fide erudiendum plures viros religiosos  
submitteret, ipseque publicæ reconci-  
liationis solemnia sua præsentia hone-  
staret. Hoc nuntio summopere lætus  
Præful die decima septima Januarii  
Colonia discessit, haud parum tamen a-  
nimo dejectus, cum Vesalienses ad eju-  
randam hæresin parum proclives esse  
renuntiaretur, nihilominus superato o-  
mnis periculi timore se proxime adven-  
tuum Vesaliensi Senatui significari jus-  
sit, maturatoque itinere urbem ingres-  
sus ac honorifico exceptus hospitio,  
eodem die a Senatu salutatus est: mox  
tamen expiscabatur, quod hi cives veriti,

Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.



Sæcul. XVI.

A. C. 1599.

ne illorum urbs deprædatione, vel uno  
 roso præsidio vexaretur, illud propo-  
 tum concepissent, nunc autem ab eo  
 lieni essent: nec tamen propterea Me-  
 doza animum despondens, Nuntium,  
 bene cœpta generose prosequeretur  
 hortatus est, cujus etiam ministerio  
 Vesaliensi Magistratu impetratum, ut  
 omnia urbis templa in Nuntii potestatem  
 venirent, necnon occupata Ecclesiæ bo-  
 na in alendos sacerdotes impenderetur,  
 cunctisque hæreticæ sectæ ministris  
 exulare iussis Catholica Religio revo-  
 caretur. His ita constitutis Garzadus  
 plura templa solemnibus ritibus ex-  
 piabat, & populum sacris concionibus,  
 puerosque frequenti doctrinæ christianæ  
 expositione instrui curabat: observa-  
 batur tamen, quod perpauca quotidia-  
 no Missæ sacrificio interesse consueve-  
 rint, quæ res malo omine simulatum  
 Religionis studium prodebat, ac brevi  
 futuram a suscepta fide defectionem  
 præsagebat, prout & eventus docuit.

§. LXXIV.

*Edicti Nannetensis promulgatio.**Spond. l. c.*

n. 10.

*Bul. Const. 63**Thu. l. 122.*

Jam anno superiori memoravimus, quod  
 Henricus IV. Franciæ Rex Hugo-  
 nottis conscientia libertatem, condito  
 apud Nannetes edicto, indulgisset, cujus  
 tamen promulgatio hucusque semper  
 disse-



differebatur ob reverentiam erga Ale-<sup>Sæcul. XVI.</sup>  
xandrum Medicæum Florentinum Car-<sup>A.C. 1599.</sup>  
dinalem, ac Legatum Apostolicum, qui  
quamplurimis etiam Parisiensis Curia  
Senatoribus, Regnique Præsulibus ve-  
hementer obluſtantibus hoc edictum in  
opus deduci, conſtanter præpediebat:  
eo autem Romam reverſo Rex hujus  
viri abſentia fretus ex ſingulis Curia  
claſſibus Deputatos ad Luparam Re-  
giam convocabat, eiſque gravi ſermone  
perſuadere nitebatur, quod hoc edictum  
non tam in Hugonottarum, quam Ca-  
tholicorum favorem conditum, ac brevi  
in veræ Religionis augmentum redun-  
daturum ſit, dummodo libera il ius exe-  
cutio ipſius prudentia relinqueretur, at-  
que a pio hoc propoſito novis injectis  
difficultatibus non præpediretur: verum  
ægre admodum Rex id Senatoribus,  
Cleroque perſuadebat, ac neceſſe fue-  
rat, ut in opem vocaret Lazarum Coque-  
lejum Senatorem, egregiumque decla-  
matorem, qui multis argumentis edicti  
utilitatem comprobata reddere ſata-  
gebat: tandem vero paulo majori ſuf-  
fragiorum numero impetrabat, ut hoc  
edictum Parisiis hoc anno die vigefima  
quinta Februarii promulgaretur: qua-  
propter conſeſſim ex Nobilibus, & ju-  
dicum Ordine duos ſelegit, qui per ſin-  
gulas regni provincias hujus edicti ar-  
ticu-



Sæcul. XVI.  
A. C. 1599.

ticulos in usum deduci curarent. Ad hæc agendi ratio summo Pontifici maxime displicuit; cum enim quodam hujus edicti articulo sancitum esset, ut Protestantes promiscue ad honores, & Magistratus admitterentur, haud immerito verebatur, ne porta hæreticis ad dignitates publicas aperta, hi & potentia & auctoritate crescentes orthodoxam fidem opprimerent, Catholicosque numero superarent, quapropter Osius Cardinalis, qui Franciæ res Romæ procurabat, omnis eloquentiæ suæ fontem exhaurire cobeatur, nec tamen internum Pontificis mærorem desuper conceptum leniisset, nisi eidem præter alia exposuisset, quod Rex duntaxat duræ necessitatis violentia adactus, ut pacem regno suo redderet, hoc edictum promulgasset, exinde vero ingens Ecclesiæ Gallicanæ emolumentum redundaret, eoquod in pluribus regni urbibus Catholica Religio restituenda foret, atque Hugonottarum non pauci per ipsum Regem, ejusque Prælatos ad veram fidem facilius pacis beneficio, quam civili bello sine edicti promulgatione haud evadendo reduci valerent: porro hac potissimum ratione Clemens Papa permotus die vigesima Augusti ad Archiepiscopum Lugdunensem, ceterosque Franciæ Præsules epistolam Pastoralem trans-

mittit.



misit, in qua illos hortabatur, ut ad eas Sæcul. XVI.  
 regiones, civitates, & loca, in quibus Ca- A. C. 1599.  
 tholicæ Religionis usus restituitur, & di-  
 vini cultus sacræ functiones renovantur,  
 & sacramentorum administratio iterum in  
 mores inducitur, atque instauratur, Cleri-  
 cos, & Sacerdotes probatissimos mitte-  
 rent, qui non solum doctrina, & rerum  
 Ecclesiasticarum usu, sed vitæ integritate,  
 & prudentia præsent, qui zelo honoris  
 Dei, & salutis animarum sint incensi, qui  
 vere omni sua actione fidelem populum æ-  
 dificent, & non destruant, qui non terre-  
 na compendia, sed animarum lucrum quæ-  
 rant, qui denique novellas plantationes co-  
 lant, rigent in spiritu charitatis & pa-  
 tientia, ut ab eo, qui est fons perennis bono-  
 rum omnium, accipiant incrementum.

§. LXXV.

*Turbæ in Belgio continuatæ.*

Ad initium hujus anni haud exiguus Gallat. s. c.  
 Antverpiæ suscitabatur tumultus; l. 11  
 quippe fœderatorum milites, cum val- Harvæus  
 lum quoddam, quo transitus ab Ant- annal. tu-  
 verpiana urbe in Flandriam custoditur, mult. bellic.  
 negligenter munitum, per exploratores ad ann. 1599  
 cognoscerent, die decima octava Janua-  
 ri inopinato propugnaculum e regione  
 Antverpiæ situm aggrediebantur, cæ-  
 sisque paucis, quos armatos offenderant,  
 præda onusti ad vicinas munitiones  
 suas

*Hist. Eccles. Tom. LII.*

F f



**Sæcul. XVI.**  
**A.C. 1599.**

suas revertebantur: die autem vigesima secunda ejusdem mensis nondum sedata hæreticorum rabie Henricus Achterfeldius juvenis ad quævis audentia procinctus Franciscum Schoriemanum Sacerdotem, qui paulo ante sermonem ad populum habuit, eoque finit cum aliis duobus prope templi chorum incessit, a tergo invasit, cultroque per cervicem ad jugulum usque adactum interfecit, patratoque scelere citissime fuga se proripuit, a lictoribus tamen obprehensus promeritas sacrilegi sui facinoris pœnas dedit. Sub idem tempus Antverpienses præfidiarii ob dilatationem stipendiorum solutionem tam insolentem tumultuari cœperunt, ut ipsum etiam Mexiam Arcis Præfectum expellere attemptarent, hinc Andreas Cardinalis, qui pro Archiduce Alberto Belgicas res administrabat, ad sedandos hosce tumultus eo contendere statuit, ac ineunte mense Februario adventans præfidiarios stipendiis, quæ meruerant, perionis exauctoravit, promulgato edicto, ut quis eorum ultra decimum quintum diem in regionibus Hispano Regi obnoxiiis moraretur: quocirca hi quantocius urbe excedebant, eorum tamen portumini a rusticis qua auri cupiditate, quæ ira accensis spoliati, ac trucidati fuerunt. Gandavenfes vero præfidiarii, quant



tumvis & ipsi rebellionem concitassent, quia tamen ceteros milites in criminis sui societatem nequaquam pellexerant, suam stationem tenore permittebantur. His ita feliciter compositis Cardinalis Austriacus Bruxellas contendit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

§. LXXVI.

*Alternans Martis fortuna in Belgio.*

EO tempore de pacanda Belgii provincia ardentius agebatur, hancque in rem Electorum, Principumque Legati die vigesima prima Martii Confluentiam venientes inter cetera decernebant, ad Cæsaream suam Majestatem mittendos esse Legatos, qui pro gesta Imperii cura grates agerent, simulque rogarent, ut idem Imperator totius Imperii comitia indiceret, ac pro viribus Belgii tranquillitatem promoveret, præcipue cum ipsi vicissim novem mensium auxilia sponderent, ea tamen lege, ut omnis apparatus bellicus non ad offensionem, sed duntaxat ad defensionem ordinaretur: cum vero hac ex parte de pace ageretur, altera ex parte Mauritius Fœderatorum Princeps collecto militum suorum robore bellum parabat, ac Clivensem ditionem infestare cœperat, haud ignarus, quod Cardinalis Austriacus ad Principum præces regium mili-

Harræus l.c.  
Gallut. l. 11.



**Sæcul. XVI.**  
**A.C. 1599.**

tem eduxisset: comperto igitur Mauri-  
tii apparatu Mendoza Catholici exer-  
tus Dux, ut Rhenum in sua potestate  
necnon aditum in Geldriam retinere  
quatuor Cliviæ urbes Rhesam, Calce-  
riam, Gocham, & Geneapium non  
præfidiis muniebat: porro cum ad  
pugnandum propugnaculum, quod  
Schenchium nominatur, Embricæ  
ditum panderet, cives, ut præfidi-  
rios milites acciperent, sollicitabat:  
autem renuentibus die vigesima octava  
Februarii admota tormentorum vi  
urbem cepit, præsidiumque ex Hispanis  
Gallis, Italisque conflatum Ductore Ge-  
rolo Longivallio Comite Bucquojo in-  
posuit: interim Mauritius id ægre su-  
rens urbem militari saltem astu recupere-  
rare statuit: quocirca protinus Ludovicum  
cum Nassovium eo decernit, dato nego-  
tione, ut prope urbis mænia emissis Equi-  
tibus greges e circumvicinis palæstris  
abigeret, ipse vero haud procul a  
insidiis se latitaturum, ac incautum  
longiusque abreptos præfidiarios inopi-  
na vi obruturum spondebat: nec con-  
filio optatus deerat successus; quippe  
Bucquojus cum suis erumpens, dum in  
stem strenue insequitur, a Mauritio  
latebris profiliante unacum Pacoto, et  
liisque Belliducibus capitur, ceteris par-  
tim cæsis, partim in fugam actis, captus  
que



**Sæcul. XVI**  
**A.C. 1598.**

que. Tum primum utrinque belli re-  
 staurandi exarsere studia, & quidem An-  
 dreas Cardinalis Austriacus cum Men-  
 doza Archithalasso, Mansfeldio Comite,  
 Velasco, aliisque belli Præfectis delibe-  
 rationem habuit, & die duodecima A-  
 prilis decrevit, recensito regio milite in  
 hostem esse movendum: id ubi Mauri-  
 tius per interceptas literas compererat,  
 ipse quoque copias suas maxima, qua  
 valuit, celeritate contrahens, vicina Ba-  
 taviæ Insulæ oppida præsidiis, naves-  
 que bellico apparatu instruxit, ponti-  
 bus Vahali, & Rheno impositis. Po-  
 stea Andreas die decima sexta ejusdem  
 mensis Ræsam venit, & coacto belli Se-  
 natu Bommeliam Insulam, ejusque no-  
 minis oppidum ad ripam Vahalidis situm  
 invadendum censuit, obluçtabatur au-  
 tem Mendoza, tandem vero conclusum,  
 Bommeliam esse oppugnandam, Schen-  
 chianæ autem arcis obsidionem dunta-  
 xat esse simulandam: quapropter Car-  
 dinalis Thserenbergio Comiti septem  
 millia peditum, Equitesque mille arci  
 admovere præcepit, ipse vero frustra  
 Vahelim trajicere conatus Barlottum  
 adducto e Sylvaducis navali apparatu  
 præmisit, qui die nona Maji in Bom-  
 melianam Insulam trajiciens fluvium  
 Vahelim ponte junxit, quo comperto  
 Mauritius die undecima Maji vix al-  
 bescen-

F f 3

bescen-



Sæcul. XVI.

A.C. 1599.

bescente coelo cum valido præsidio  
 bem ingressus Schenchium quoque  
 Ætingentis Anglis muniēbat: interea ve  
 ro Mendoza Bommelianam Insulam  
 occupans. die undecima Maji Crepico  
 dium oppidum ad convehendam  
 nonam peropportunum deditioe cepit  
 promotisque castris Bommelianam ur  
 bem adorsus die decima septima ejus  
 dem mensis extrema hostium munime  
 ta oppugnavit, nec segnior tamen Ma  
 ritius castris e regione urbis in adven  
 fluminis ripa collocatis Regios infesta  
 bat, eorumque castra die vigesima pri  
 ma Maji invadebat, æquato utrinque  
 decore, ac dispendio; porro jam aliquot  
 dies oppidi expugnatio incassum serve  
 bat, unde Cardinalis, ut Gravia ad Bomm  
 melianam insulam tutus ad advehendas  
 comēatus aditus pateret, Mosam fluvium  
 valido milite communiri jussit, ipse ve  
 ro cum reliquo exercitu obsidione soluta  
 Herwinum secessit, ut proximior esset  
 arci, quam quidam Architectus natione  
 Germanus ex Protestantium fœderato  
 rum castris transfuga ad commodiorem  
 urbis expugnationem construi suaserat,  
 sinistro tamen prorsus consilii successu;  
 quippe eadem arx, sancti Andreæ dicta  
 sub Aloyii Velaschi cura die quinta  
 Junii maximis sumptibus, atque impu  
 gro labore erecta, necnon amplissima  
 appe



apparatu instructa, ac crebris, iisque <sup>Sæcul.XVI.</sup>  
 cruentis velitationibus defensa, quæ jam A.C.1509.  
 ingentem fœderatis perniciem allatura  
 credebatur, eisdem anno sequenti in ma-  
 ximum commodum ab Hispanis vili pre-  
 tio divendita cessit.

§. LXXVII.

*Batavi in Hispaniam irrum-  
 pentes.*

Dum interea variante Martis fortuna *Harræusl.c.*  
 Bommeliæ dimicatur, Holandi, *fol. 558.*

eorumque Socii ductore Petro Dusa cum  
 valida septuaginta navium classe die vi-  
 gesima quinta Maji factis velis Hispan-  
 nam, insulasque adjacentes infestare  
 aggrediuntur, & die decima quinta Ju-  
 nii Coronnam Gallitiæ portum delati,  
 cum hanc oram valido præsidio muni-  
 tam intelligerent, suorum cladem veri-  
 ti iter ad promontorium sancti Vincentii  
 dirigunt, & Lanceroltam, Forteventu-  
 ram, aliasque Insulas prætervecti tan-  
 dem die vigesima sexta ejusdem mensis  
 Canariæ in terram descendunt, ubi post  
 cruentam æque, ac pertinacem pu-  
 gnâ ad biduum protractam auffugien-  
 tibus incolis urbe, & arce potiti, nec-  
 non die quarta Julii arce, oppidoque in-  
 censo ad naves præda onustas reversi  
 sunt: inde vero Gomeram Insulam in-  
 vadunt, ex qua tamen utpote incolis,

F f 4 rebus-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.  
rebusque pene vacua ad Insulam sancti Thomæ descenderunt, expugnatoque Pavoasa oppido, captoque Francisco Menesio hujus Insulæ Præfecto amplissimam prædam congefferunt, non tamen sine magno suorum dispendio; cum enim hæc gens ardentissimis hujus regionis caloribus ferendis impar esset, ipse Petro Dusa, cunctisque centurionibus ac ferme omnibus militibus tabe consumptis nonnisi paucissimi mense Februario anni sequentis in patriam velut castigatæ temeritatis testes reverti sunt.

## §. LXXVIII.

*Vesalienses denuo hæresin palam profitentes.*

*Gallus. de bello Belg. l. 12.*  
*Campana l. 7.*  
*Grotius l. 8.*  
Cum Germaniæ Principes, quorum non pauci hæresis veneno infecti erant, Vestphaliam ab Hispanis occupatæ ægerrime ferrent, Fœderati Protestantibus hac opportunitate usi eosdem tam libenter, quam Legationibus sollicitabant, ut novum cum eis fœdus adversus Cæsares, Hispanosque inirent. Ergo hi ad initium mensis Augusti ductore Simone Lippa Comite exercitum pedum ferme viginti quinque millium, Equitumque quatuor ad Rheni ripam contrahunt majoribus sane impensis, quam expeditionis felicitate; quippe post irri-



Sæcul.XVI.  
A.C. 1599.

tam Rhenobergæ, ac Rhesæ obsidio-  
nem ferventibus inter se dissidiis totus  
exercitus dissipatus est, nihilominus hu-  
jus adeo vicini exercitus potissimum ex  
hæreticis compositi opportunitas Vesa-  
lienses incitabat, ut fidem Catholicam,  
quam nonnisi specietenus susceperant,  
abjiciendi occasionem quærerent, hinc  
rarius sacras conciones frequentabant,  
liberiusque in Sacerdotes contumelias  
spargebant, ac sprete Nuntii Pontificii  
reprehensione sensim pristinæ sectæ suæ  
Ministros advocabant. Inopina hæc Ve-  
saliensium mutatio haud parum afflige-  
bat Garzadorum Papæ Nuntium, nec  
minorem de ejusdem securitate timo-  
rem incussit Mendozæ Belliduci, qui  
propterea datis literis Rhesæ Guber-  
natorem, necnon bellicæ navis Præfe-  
ctum admonebat, ut ad Præsulis postu-  
lata paratum haberent militem, navem-  
que ad migrandum idoneam: interea  
vero crescente indies hæresis furore Ca-  
tholici Præcones sibilis, convitiis, &  
opprobriis, ac conjectis quoque in eos la-  
pidibus petebantur, nec deerant, qui  
Præsuli ad tot incommoda imperterrito  
clam venenum propinare auderent,  
cum autem incolumis evaderet, eidem,  
ut Vesalia excederet, denuntiare haud  
dubitabant, hic tamen gregis sui ad sa-  
niora revocandi spe nondum abjecta pro-  
pria

F f 5

pria



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

priæ vitæ discrimen alienæ saluti post-  
habuit: cum vero hæresis genius ad-  
quævis audenda proclivis hosce cives  
eo adigeret, ut Sacerdotem, qui in ipsa  
Christi in cœlum ascendentis solemnitate  
suggestum ad concionandum conscenderat,  
e templo ignominiose detruderent, ac  
Præsulem ad discessum violenter  
cogerent, hinc is clam accersita navi  
urbe excedere statuit, quæsito obtentu,  
quod novæ electioni Trevirensis  
Archiepiscopi interesse cogeretur.  
Discedente hoc Præsule Vefalienses  
ruptis omnibus licentioris vitæ  
repagulis palam hæresin pristinam  
profiteri cœperunt. Ita nempe Catholici  
exercitus metu Religio invec̃ta, hæ-  
retici vero agminis robore rursus abie-  
cta est, luculento exemplo, quod vera  
fides, nisi plantante Deo sponte in ani-  
mis nascatur, altas raro agat radices.

§. LXXIX.

*Henricus Joyosa ad Capuccinorum  
Institutum reversus.*

*Spond. hoc  
anno n. 9.  
Daniel  
p. 254.  
Thuan. Hist.  
lib. 122.*

Hoc anno luculentum divini Numinis  
fortiter, suaviterque vocantis speci-  
men elucebat in Henrico Joyosa Duce,  
ac Franciæ Marefcallo. Hic antea di-  
ctus Buchagiæ Comes, conjuge sua Ca-  
tharina Espernonii Ducis sorore fati-  
functa, ex qua unicam Filiam susceperat,  
mun-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

mundanam vanitatem pertæsus vigesimo post die anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo quarto Patrum Capucinatorum habitum induit, regulamque professus est, Pater Angelus Ivo Parisiensis dictus: cum vero Occidaniæ Nobiles, ac Provinciæ Ordines Religione Catholici Ligam, seu sacrum fœdus contra Henricum IV. conflarent, ac integrum exercitum contraherent, a Tolosano Archiepiscopo Henrici Fratris importunis precibus extorquebant, ut obtenta summi Pontificis venia Pater Angelus habitu deposito fœderati exercitus imperium post Antonii Scipionis Fratris sui ad Villamurium extincti mortem anno salutis nostræ millesimo quingentesimo nonagesimo secundo in se susciperet. Ergo Pater Angelus antea Comes, postea Monachus, ac denuo Bellidux per integros septem annos profanam, quam abjecerat, militiam exercebat, ac præcipuum Fæderatorum caput in Galliis evaserat, suam opem pro tuenda fide Catholica in castris magis, quam in clauistro, necessariam fore arbitratus. Obstupuit orbis, dum hunc Franciæ Marefcallum, qui per tot annos rursus aulæ delitiis, pompæ, honorumque illecebris sat liberaliter assueverat, suamque Filiam Montpenserio Duci desponderat, denuo hoc anno ad

Mona-



Sæcul. XVI.

A. C. 1599.

Monasticam vitam, quam ante duodecim circiter annos professus erat, relicta hujus sæculi vanitate Parisiis mense Martio redeuntem in Cappuccinorum cœnobio conspexerat: tam generosæ autem mutationis causas varii varias afferunt, quippe præter specialem Dei famulum suum revocantis dispositionem scriptorum nonnulli referunt, quod post redditam Franciæ pacem cessante causa, ob quam habitum deserere permittebatur, rursus ad religiosæ vitæ professionem redire tam importune a summo Pontifice sollicitatus fuerit, ut ipsemet propriæ suæ conscientiæ stimulis agitatus habitum resumere decreverit: verum hæc ratio minus veritati consona videtur; Henricus enim vi gratiæ a Papa obtentæ haud amplius Religioni Cappuccinorum permanebat obstrictus, sed ab ipsomet Clemente VIII. anno post Christum natum millesimo quingentesimo nonagesimo quinto die quinta Maji diploma obtinuit, vi cujus commutata votorum Religione ad Ordinem Equitum Melitensium transire permittebatur: præterea sequenti anno die decima octava Septembris aliis literis Apostolicis eidem concessum, ut omnibus suæ familiæ bonis non modo tum possessis, sed etiam impostero quocunque modo sibi obvenientibus usque ad vitæ suæ



suæ finem frui valeret: ex his igitur satis manifeste elucet, quod nec Henricus propriæ conscientiæ, nec Pontificii imperii metu adactus ad suum Ordinem redierit. Refert etiam Pater Daniel in sua Franciæ Historia, a Subleto de Noyers secretioris Senatus apud Ludovicum XIII. Ministro narratum fuisse, quod præfati Subleti Parens tum regiarum rationum Tribunus de Henrici salute valde sollicitus, huic Marefcallo Francisci Borgiæ vitam tradiderit, hic vero ex illius lectione adeo fuerit commotus, ut compositis rebus domesticis mundo valedixerit: attamen hæc relatio unius duntaxat Authoris testimonio suffulta haud satis firma videtur, magis comprobatum est id, quod ille Author, qui præfati Joyosæ Marefcalli vitam descripsit, præter alios hunc in modum recenset: "Hic Pater Ivo a Cap-  
 „puccinorum Cœnobio ad Ligistas tran-  
 „siens in gratiam Henrici IV. haud re-  
 „diit, nisi cum ei clam Marefcalli  
 „Franciæ dignitas promitteretur: po-  
 „stea sub nomine Marefcalli de Joyosa  
 „in aula commorans, dum quondam  
 „cum Henrico IV. Rothomagum pro-  
 „ficiscebatur, populo turmatim concur-  
 „sitante ab eodem Rege interrogaba-  
 „tur, quam ob causam hunc populum  
 „etiam neglecto manuum suarum labo-

„Te

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1599.



Sæcul. XVI. „re hūc convolare ipse crederet? ad  
 A.C. 1599. „hæc reposuit Mareſcallus: abs dubio  
 „hæc gens regiam suam Majestatem tot  
 „præclaris facinoribus celebratissimam  
 „admiratura convolat: erras mi bone  
 „respondit Rex, non me admiratur, sed  
 „te; ipsis enim insolitum est, Cappuci-  
 „num undique auro contactum conspi-  
 „cere: his verbis Henricus Mareſcal-  
 „lus ingenti pudore suffusus eadem ad  
 „huc vespera ad Cappuccinorum coeno-  
 „bium reversus est, ac paulo post sulce-  
 „pto rursus habitu interruptum vitæ  
 „sanctioris studium proſequabatur.  
 Hæc ille: ast quacunque demum ex  
 causa hic Mareſcallus ad tam genero-  
 sum animi propositum incitatus fuerit,  
 id omnino certum est, quod postea in  
 magna austeritate, atque assiduo virtu-  
 tum studio, & sincera antea vitæ pen-  
 nitentia perseverarit, & licet præter li-  
 terarum humaniorum rudimenta aliis  
 sacratioribus scientiis imbutus non fuis-  
 set, brevi tamen sermone, & opere po-  
 tens suis Concionibus plures ad melio-  
 rem frugem reduxit, obstupescens  
 quam plurimis, quod homo aula enutri-  
 tus, atque a literarum studiis alienus  
 sola ingenii felicitate, necnon animarum  
 zelo fervorem acuate tam cito in elo-  
 quentem non minus, ac doctum Eccle-  
 siasten evaserit. Scripsit etiam gallico  
 idio-



idiomate præclarum librum, cui titulus: **Sæcul.XVI.**  
*christiana virtutum Schola*, in quatuor **A.C.1599.**  
 partes divisum, cujus secunda versio Ger-  
 manica Pragæ typis Wolfgangi Wik-  
 harti anno post partum Virginis mille-  
 simo septingentesimo vigesimo prodiit.  
 Ceterum in prima hujus libri parte hic  
 Author disserit de obligationibus ho-  
 minis christiani erga Deum, in secun-  
 da de officiis erga seipsum, in tertia de  
 officiis erga suam propriam familiam,  
 subditos, & superiores, in quarta deni-  
 que agit de sano rerum temporalium u-  
 su, necnon de aptis humanæ societatis  
 vinculum conservandi modis.

## §. LXXX.

*Franciæ Legatus Romam decretus  
 ad procurandum Regis di-  
 vortium.*

Quamvis inter Franciæ, & Hispaniæ *Dan.l.l.c.*  
 Reges pax Vervini feliciter con- *p.242.*  
 clusa fuisset, ejusque articulis ipsemet *Spond.hoc*  
 Carolus Emanuel Sabaudiaë Dux sub- *anno fol.811.*  
 scripsisset, nihilominus controversia cir- *n. 12.*  
 ca Salutianum Principatum, quæ in *Thu. Hist,*  
 præfatum Ducem, & Henricum IV. *p. 871.*  
 Galliarum Regem fervebat, nondum e-  
 rat composita, sed hujus litis decisio  
 mutuo utriusque partis consensu peni-  
 tus committebatur iudicio summi Ponti-  
 ficis



Sæcul. XVI. ficis, qui etiam rem intra unius anni  
 A.C. 1599. spatium decifum iri pollicebatur. Igitur  
 hanc in rem Galliarum Rex Nicolaum Brulartum Syllerium Franciarum  
 Cancellarium, ac Parisiensis Senatuum Præsidem, postquam  
 Lucemburgius Dux redierat, tanquam Legatum suum Romam  
 decernebat, ut cum Offato Cardinali, necnon cum Francisco Arcon-  
 to Tuzanæ Comite de hac controversia ageret, cum autem Sabaudia  
 Dux compromissi spatium, quod die secundo Maji  
 expirare noverat, diutius protrahere instanter peteret,  
 atque ipse in Franciam ea ex causa se profecturum pol-  
 liceretur, Romæ res in suspenso hærebant. Attamen  
 alia adhuc suberat causa, ob quam Henricus IV. Galliarum  
 Rex Syllerium Romam destinaverat; quippe jam ab anno  
 Domini millesimo quingentesimo nonagesimo secundo,  
 priusquam a sua secta ad veram fidem redierat, cum  
 Margarita Valesia conjugæ suæ divortium facere meditabatur,  
 ac desuper hujus Reginæ consensum extorquere satagebat:  
 Regi autem Ecclesiæ reconciliato præterea summi Pontificis  
 gratia ad hoc oppido necessaria erat, quapropter Rex  
 Syllerium ad Clementem VIII. mittebat, ut matrimonium  
 suum ante viginti septem annos cum Valesia initum  
 dissolvi posse obtineret.

Sylle-



Syllerius quamprimum Romam die decima nona Aprilis venerat, mox Offatum Cardinalem accedens, unacum ipso totam rei seriem summo Pontifici exposuit, qui haud parum commotus hac de re sibi mentionem fieri non sustinuit, nisi Rex prius Gabrielam Estræam pellicem suam eiecisset: eapropter Henricum gravi rationum pondere a concepti divortii proposito prius removendum censebat, cum autem Cardinalis æque, ac Legatus operam perdi, necnon graves omnino rationes hanc dissolutionem suadentes Regi præsto esse assererent, summus Pontifex causas in libello simpliciter expositas a Purpuratis, ac Theologis mature discuti, imo etiam quosdam ad magis exactam rei cognitionem in Franciam ablegari præcepit: hujus ergo negotii cura Francisco Joyosæ Henrici nuper ad Cappuccinos redeuntis fratri, Casparo Silingardio Mutinensi Episcopo Pontificis Nuntio, & Horatio Montano Arelatensi Archiepiscopo demandata est, ut de veritate rationum, quæ exponebantur, cognoscerent, quam in rem summus Pontifex die vigesima quarta Septembris ad eos diploma transmisit, quo comperto Rex ad Papam, & sacrum Purpuratorum Collegium literas dabat, quibus pro tanto favore tam suo

Sæcul. XVI.  
A. C. 1599.

*Epist. Offati  
ad an. 1599.*



Sæcul. XVI. suo, quam Regni sui nomine amplifi  
 A.C. 1599. mas reddidit grates.

§. LXXXI.

*Hujus divortii causa.*

*Spond. Da-  
 niel &  
 Thuan. l. c.*

Jam dudum adeo exigua animorum  
 consensio inter Henricum, & Marg-  
 ritam vigeat, ut ipsa post Estreæ De-  
 cissæ, Regis concubinæ, obitum haud re-  
 luctanter matrimonium suum dissolu-  
 consentiret, & quidem præcipue ob ra-  
 tiones sequentes I. "Francisci I. Soror  
 „ac Joannæ, quæ Regis Parens extitit  
 „Mater erat magna Avita Margaritæ  
 „Reginæ, proin ipsa Regina Henricum  
 „IV. in tertio consanguinitatis gradu at-  
 „tingebat. II. Quamvis Carolus IX.  
 „Franciæ Rex legis hoc matrimonium  
 „irritantis gratiam a Gregorio XIII.  
 „summo Pontifice petierit, obtinuerit-  
 „que, id tamen haud consulta imo &  
 „& penitus ignara Regina factum fuit.  
 „ac ipsemet Henricus Rex, cum adhuc  
 „eo tempore Hugonottarum secta infe-  
 „ctus esset, ante contractum matrimo-  
 „nium hanc veniam, utpote ipsam clau-  
 „sivum Ecclesiæ auctoritatem viliper-  
 „dens, minime curasset, & licet eam e-  
 „jurata Calvinii hæresi, ac contracto  
 „jam matrimonio postulasset, illa tamen  
 „omnino irrita fuit, eoquod Margarita  
 „in hoc matrimonium nunquam consen-  
 „sisset.



Sæcul. XVI.  
A.C.1598.

„fisset. III. Hæc ipsa dispensatio ea ex  
 „parte nullius erat valoris, eoquod eam  
 „Henricus Rex post consummatum ma-  
 „trimonium petiisset, falso exponens,  
 „quod jamjam ad Catholicam fidem re-  
 „diisset, & Pontifex hanc gratiam dun-  
 „taxat, si preces veritati nitantur, con-  
 „cessisset, cum tamen eo ipso tempore  
 „Rex publico scripto declarasset, quod  
 „nunquam ex animo, sed duntaxat ex  
 „mortis metu hæresin abjecisset, Mar-  
 „garita autem ad has nuptias a Matre  
 „sua Catharina, & a Carolo fratre, ne-  
 „quidem facta dispensationis obtentæ  
 „mentionem, inducta fuisset. IV. Ex  
 „Concilii Tridentini dispositione ejus-  
 „modi dispensationes gratiose concessæ  
 „tanquam irritæ declarantur, nisi prius  
 „Ordinarii de iis cognoverint, hæc au-  
 „tem dispensatio, qualiscunque demum  
 „fuerit, nec Parisiensi Episcopo, nec ulli  
 „Parocho fuit exhibita: „ Porro quoad  
 hoc punctum venit admirandum, quod  
 Rex in causæ suæ patrocinium vocare  
 voluerit Tridentinam Synodum, quam  
 ipse tamen in suo Regno acceptare con-  
 stanter recusabat. “ V. Ex hoc ipso,  
 „quod idem Concilium in Galliis non  
 „fuisse receptum, Oratores provide-  
 „bant quandam dissolvendi matrimonii  
 „rationem, & obtendebant cognationem  
 „spiritualem, eoquod Henricus II. Mar-

G g 2

„ga-



**Sæcul. XVI.**  
**A.C. 1599.**

„garitæ Pater Henricum IV. de sac  
„fonte levasset; quamvis ergo hoc in  
„pedimentum inter Patrini filios, & bo  
„ptizatum post Concilii Tridentini de  
„clarationem fuisset sublatum, hac t  
„men Synodo in Galliis non recepta ib  
„dem eadem adhuc ratio vigere videb  
„tur. Denique postrema, ac præcipua  
„ratio erat, quod Margarita Regina no  
„dum decimum nonum ætatis suæ an  
„num egressa a Carolo IX. Rege fratr  
„suo, nec non a Catharina Medicæ  
„Matre sua ad has nuptias non mod  
„metu & reverentia, sed etiam precum  
„minarumque importunitate adact  
„fuisset. „ Hisce rationibus illi, qui  
„hunc libellum supplicem conficiebant,  
„insuper adjunxere, quod Senatus Pari  
„siensis, omnesque Regni Ordines impe  
„se instarent, ut Rex nova uxore ducta  
„susceptisque hæredibus Regni salutem  
„sartam servet; „quamvis enim, inquie  
„bant illi, legitimi non deessent Regni  
„hæredes, nihilominus ad firmandam  
„Regni securitatem tot factionibus ar  
„tea turbatam plurimum interest, ut  
„Francia ex eodem, qui tot curis, in  
„pensisque quietem revocavit, prolem  
„deinceps regnaturam habeat, quæ te  
„men ex Regina, cum jam quadragesi  
„mum sextum ætatis annum attigerit,  
„haud amplius sperari potest; ob eus  
„mod

*Daniel. hist.*  
*de Frans.*  
*7. 250.*



„modi autem, similesque cauffas matri-  
 „monia priora fuerunt diffoluta, prout o-  
 „cto Gallicæ stirpis Principum exemplis  
 „comprobatum redditur. „ Addebantur  
 equidem his plures adhuc aliæ ra-  
 tiones, attamen præcipua, quæ re ipfa  
 Regem ad follicitandum suum divor-  
 tium impellebat, erat infanus amor, quo  
 tantopere Gabrielam Eſtræam Pelfortii  
 Duciffam deperibat, ut illam thori,  
 thronique fociam, ex qua jamjam duos  
 filios Cæſarem, & Alexandrum ſuſce-  
 perat, fieri percuperet, quamvis paulo  
 poſt divina providentia non modo ob-  
 cæcati hujus Regis conſilium, quam  
 ambitioſa hujus fœminæ molimina re-  
 pentino, eoque ſat funeſto eventu ever-  
 teret, uti poſtea narrabimus.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1599.

§. LXXXII.

*Allegatæ divortii rationes maturius  
 diſcuſſæ.*

Cum inter graviores, quæ exponeban-  
 tur, rationes abs dubio eſſet violen-  
 tia, qua Margarita ſeſe ad Regis nu-  
 ptias adactam fuiſſe aſſerebat, hinc de-  
 ſuper Regina ſecundum juris præſcri-  
 pta examinabatur, quæ etiam interpo-  
 ſita juramenti Religione aſſeverabat,  
 quod nonniſi Parentum reverentia, me-  
 tuque impulſa Henrico ſociata fuerit, nec  
 unquam hoc matrimonium fore vali-  
 dum

Spond. l. c.  
 n. 13.  
 Daniel p. 244

G g 3 dum



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

dum censuerit, ac propterea dispensationis obtentæ nonnisi uno, altero anno gnara jam antea conscientie simul impulsæ per quatuordecim omnino annos Marito suo non cohabitavit porro hujus asserti fidem Regina facile obtinebat; omnibus enim notum erat quod ipsa per Martinum Anglum, & Eduardum Molæum Procuratores suos Uffoni in Alverniis diplomate desuper confecto die quarta Februarii jam dudum Henrico Regi exponi curaverit, se salva conscientia cum ipso tanquam Marito versari non posse, cum hæc nuptiæ ob sanguinis propinquitatem, Religionis diversitatem, ac consensus defectum ab initio legitimæ non fuerint, nec postea convalescere potuerint, proin Rex haud ægre ferret, si hæc nuptias omnino nullas fuisse a summo Pontifice declarari peteret: insuper Regina easdem hæc rationes, postquam res in aula Romana agitari cœperat, Clementi VIII. exponens supplicabat, ut ipsa ab hoc iugo liberaretur, nec ullo pacto ejusmodi Matrimonium nova legis gratia validum redderetur. Perceptis hisce omnibus Delegati Judices in ædibus Henrici Gondii Parisiensis Episcopi convenientes singula capita testibus, aliisque rationum momentis sedulo comprobari curarunt, & quidem circa præcipuum

vio-



violentiæ adhibitæ caput novem omni-  
no testes tam generis nobilitate, quam  
integritatis fama conspicui excipiebantur,  
qui una omnes Reginæ vim, minasque ad  
extorquendum consensum illatas fuisse  
testabantur: cunctis igitur rite probatis  
Joyosa Cardinalis, Arelatis Archiepiscopus,  
nec non summi Pontificis Nuntius die decima  
septima Decembris pronuntiabant, quod  
Matrimonium Regem inter, & Reginam ab  
initio nullum fuisset. Hac sententia mox  
Romam delata Romanus Pontifex hucusque  
gesta omnino rata habuit, atque utrique  
parti aliud conjugium ineundi libertatem  
fecit, quo percepto Pontificis judicio  
Henricus Rex quantocius Alincurtium  
Villaregii Filium Romam ablegabat, ut  
debitas Clementi VIII. grates rependeret.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

§. LXXXIII.

*Infustus Gabrielæ Estrææ Belfortii  
Ducissæ obitus.*

Priusquam Syllerus Præses, cui Hen-  
ricus IV. Franciæ Rex matrimonii  
dissolvendi negotium commiserat, Ro-  
mam venerat, die decima mensis Apri-  
lis Gabriela Estræa Montcellensis Mar-  
chionissa periit. Hæc singulari venu-  
state, ac morum, sermonisque affabili-  
tate Regis animum tam impotenti amo-

Thu. l. 113.  
p. 122.  
Spond. hoc  
ann. n. 15.  
Daniel Hist.  
de Franc.  
p. 250.  
Mem. de  
Sulli tom. I.  
c. 92.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

re sibi devinciebat, ut is veluti fascina-  
tus ab ejus arbitrio cæca quadam com-  
placendi cupiditate in gravissimis etiam  
Regni negotiis dependeret, atque ad hu-  
jus fœminæ imperium præcipuas Regni  
dignitates distribueret; unde illa solli-  
citante, posthabito etiam Barone Rob-  
næo viro alias ob militare obsequium  
apud Regem meritissimo, Estræus illius  
Parens supremi rei tormentariæ Pre-  
fecti dignitatem, Franciscus autem Sco-  
bleus Surdisius Burdegalensis Archi-  
episcopus Romanam purpuram aucupa-  
tus est: quinimo Maduanus Dux, & Ba-  
lagnius, præcipui fœderatorum Princi-  
pes, nonnisi interpellante Estræa in Re-  
gis gratiam recipiebantur: postquam  
vero Rex sese a sua Conjuge separave-  
rat, vesanus ejus in hanc fœminam e-  
mor tantopere excreverat, ut illam Bel-  
fortii Ducissam nominaret, ac nefan-  
dis ejus amplexibus ex ea duos filios  
susciperet, quos divortio cum sua Con-  
juge facti per subsequens matrimonium  
legitimis natalibus restituere, aptosque  
ad Regni successionem reddere medita-  
batur: cum autem Rex usque ad jeju-  
nii verni finem cum ipsa Fontisbella-  
quei diversaretur, eidem auctor exstitit,  
ut ad evitandam populi offensionem sa-  
cro hoc hebdomadæ sanctæ tempore  
sese ab eo segregaret, ac Parisios contem-  
deret.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

deret, quam etiam ipsemet Rex medio itinere comitabatur: cum vero ipsa partui proxima esset, instantis periculi metu impulsâ Regi duos suos filios, filiamque nomine Henricam, suosque domesticos inter lacrimas impense commendabat, ac demum unacum Philippo Vareneo, quem ei Rex ulterioris itineris comitem adjunxerat, Lutetiam Parisiorum delata est, ubi die octava Aprilis, in quam Feria quinta Cœnæ Domini inciderat, templum sancti Antonii accessit, vespertinis majoris Hebdomadæ officiis interfutura, sed superveniente mentis deliquio ad ædes Zameti, apud quem prandium sumpserat, redire coacta paulo post apoplexia tangebatur, promptis tamen remediis linquentem animam revocans ad Surdisiam Comitissam deferri importunius petiit: eo autem deportata mox novis ex apoplexia convulsionibus correpta die decima Aprilis in Sabbato sancto expiravit: porro vix animam egerat, cum illico tota illius facies veluti subnigro colore tincta, collumque retro contortum appareret, horrendi vero hujus spectaculi rumore per urbem sparsa unusquisque, prout affectus erat, desuper judicium suum ferebat, atque illi, quibus publicæ offensio- nis, criminumque atrocitas Dei Vindictis memoriam refricabat, hanc mulie-

G g 5 rem



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

rem a dæmone suffocatam arbitraban-  
tur, quinimo ipsemet Regius Protome-  
dicus tum præsens abstinere haud pot-  
erat, quin exclamaret: *manus Domini to-  
tigit illam*: insuper alii, prout in subita-  
neis Principum fatiis sat solemne est, eam  
veneno extinctam spargebant, nec vana  
videbatur horum suspicio: quippe Varen-  
naus, qui proximus adstabat, datis ad  
Rosnæum Baronem literis significabat  
quod ipsa Gabriela venenum in Zamet-  
ædibus, ubi prandebat, sibi propinatum  
suspicata tam importunis precibus effe-  
ri petiisset: denique non deerant, qui  
tam insolitas hujus mortis circumstan-  
tias nonnisi vehementioris apoplexiæ  
convulsionibus adscriberent: verum ut  
ut demum res se habuerit, id oppido  
certum est, quod Rex accepto ægritudi-  
nis nuntio arce Fontebellaquensi Parisios  
contenderit, nec non tunc, cum quarta  
ab urbe leuca Gabrielam infausta mor-  
te periisse intelligeret, ex alieno peri-  
culo, ac damno aliquantulum sapere in-  
ceperit, atque in lacrymas, & lamenta  
effusus in hæc verba prorumpere audi-  
tus sit: *nunc tandem agnosco, quod Deus  
Franciæ Regno bene velit*: vesanus ta-  
men, quo in hanc sceminam ardebat,  
amor illum ad tam indignum, abjectum-  
que obsequium deprimebat, ut contra  
Gallorum Regum morem primo vestem  
pullam



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

pullam, postea vero violaceam per trimestre indueret, totamque aulam suam lugubri habitu incedere juberet, quamvis Proceres nonnisi complacendi studio exterius luctum simularent, cordetenus tamen summopere gauderent, cum per hujus fœminæ mortem Regi de nuptiis suæ Majestati congruis, Regnoque de legitimæ prolis spe provisum esset, sperandumque foret, quod tam horrendi casus memoria Henrici animum ad feriam vitæ correctionem impelleret: attamen cum ab ejusmodi famulis, qui nec Regis famam, nec ejus conscientiam, minus regni salutem cordi habebant, atque unice propriæ utilitatis studio impulsu cupiditatibus Regis sui inservire gestiebant, circumdatus esset, hinc brevi aliam puellam nomine Entraguesiam, cujus Mater olim Caroli IX. scortum ex eo Alvernæ Comitem susceperat, non minus ardenti amore deperibat, eique scriptotenus etiam futuri matrimonii fidem dedisset, nisi Rosnæus Baro Regem proposita obtinendi divortii difficultate ab infano hoc proposito avertisset.

## §. LXXXIV.

*Transylvaniæ Principatus a Sigismundo Battorio in Andream Cardinalem translatus.*

Inte-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

*Thu. p. 859.*  
*Londorp. to.*  
*3. l. 4. p. 179.*  
*Spond. ad*  
*hunc ann.*  
*num. 1.*  
*Isthuanfius*  
*l. 31. p. 721.*

Interim Transylvaniæ Principatus Sigismundi levitatem variis fortunulibus exponebatur; quippe hic Sigismundus Batorius ejus Princeps celsitudinis suæ nuper factæ pœnitens Claudioburgi, seu Claudiopoli Ordinum suorum comitia habuit, missisque ad Rudolphum Cæsarem Legatis rursus in ejus gratiam redire statuit; ast mutata illius sententia mense Martio Medutii, ignobilis oppido in Poloniæ finibus sito, alia celebrat comitia, ubi proluxa oratione habita in Andream Bathorium Cardinalem Patruelem suum Transylvaniæ Principatum transtulit, ipse vero itinere per Moldaviam facto reservatis sibi viginti quatuor aureorum millibus in Poloniam ad Zamoscium Poloniæ Cancellarium, atque exercitus Belliducem denuo fecerit, prius tamen ex domesticis suis quemdam ad Turcarum Imperatorem ablegavit, qui Legatis suis eo destinandis securitatem impetraret. Rudolphus Cæsar, quid in Dacia actum esset, comperiens, tantæque perfidiæ indignitate commotus Sigismundi Legatos, ubicunque reperirentur, comprehendere præcepit, qui tamen Thoronam delati intellecta Principatus translatione ibidem tamdiu subsistere decernebant, donec de Cæsaris voluntate certiores fierent: brevi tamen a Cardinali Andrea alii



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

alii Oratores decernebantur, qui agerent cum Petzio Rudolphi Consiliario, cui etiam ineunte mense Aprili Pragam redeunti Andreas Batorius hortante Malaspina Sanseverinate Episcopo, Pontificisque Nuntio literas committebat, quibus Cæsaris iudicio plene sese subiciens nil nisi dissidia nuper exorta amice componi rogabat: cum autem factis perspectum esset, quod duntaxat moras nequire, nec non ad arma paranda spatium nancisci quæreret, hinc Rudolphus dilato ad literas responso Bastæ Belliduci, ut copias suas in Daciam duceret, præcipit, simulque Michaelem Transalpinæ Valachiæ Despotam alias Bathoriano nomini infensum sollicitat, ut & ipse violatæ fidei injuriam armis ulcisceretur. Hoc comperto Cardinalis iterato literis ad Georgium superioris Hungariæ Præfectum datis, ejus apud Cæsarem patrocinium implorat, & per Cornisium Casparum exponit, quod quidem omnem sibi a Turcis opem polliceri posset, Religionis tamen, ac patriæ libertatis amore longius prævalente cum Cæsare litem sine sanguinis profusione componere mallet: verum Bastæ speciosa hæc Cardinalis verba responsis officiosis rependens vana eundem spe lætabat: interea vero cum exercitu suo die decima octava Octobris occupata Stephano-

nopoly



Sæcul. XVI. nopoly cum octodecim belli tormentis  
 A.C. 1599. Hemenstadium contendit.

§. LXXXV.

*Batorius Cardinalis a Michaelē Valachiae Præfecto profligatus.*

*Havvæus de bello Belg. ad hunc ann. Spond. & Thuan. l. c. Petrus de Reva de Monarchia Regni Hungarici centu. 6.*

Andreas Cardinalis, cum Cæsaris gratiam recuperare desperaret, saltem Michaelē Valachiae Vaivodam ab armis capeffendis avertere nitebatur: quapropter Oratorem Pontificium veluti a Cæsare missum ablegabat, qui Patrice, & Rudolphi nomine Michaeli nuntiaret, ut quantocius Transylvaniæ finibus excederet, nullamque huic Provinciæ molestiam inferret: verum hic, cum aucupandæ Transylvaniæ Præfecturæ spes ipsum ad arma Cæsari suppeditanda incitasset, de rei veritate dubitans, novum hoc Imperatoris mandatum sibi exhiberi postulabat, Oratore autem id penes Bathorium asservari affirmante Michael, prout jussus erat, hostilem in modum adverſus Cardinalem agere incipiebat, castrisque ad Cibinium propugnaculum, ubi Cardinalis hærebat, promotis faciem ad Cardinalem misit, qui eidem denuntiaret, nisi quantocius ab armis desisteret, Cæsarisque clementiæ se submitteret, arma ad ejus exitium parata fore. Cardinalis tam arroganti denuntiatione commotus remisso



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

misso Feziali unacum Jcunica Molda-  
 viæ Despota, quem sibi conciliaverat,  
 prior hostem aggredi statuit, collectis-  
 que decem suorum millibus urbe exces-  
 sit, necnon die vigesima octava Octo-  
 bris sanctis Apostolis Simoni, & Judæ  
 sacra in campis Cibiensibus prælium  
 iniit, ubi per quinque circiter horas u-  
 trinque majori pugnandi aviditate,  
 quam militari peritia certatum, tandem  
 vero Cardinalis a Michaelae profligatus  
 & mille centum, ac octodecim suorum  
 cælis, totidemque captis nonnisi cum  
 paucis aufugere compulsus est, ex ad-  
 verso autem Michael Vaivoda direptis  
 castris, necnon opima præda onustus  
 cum quadraginta quinque belli tormen-  
 tis, quæ hosti eripuerat, Hustam, &  
 Claudiopolim die prima Novembris vi-  
 ctor ingrediebatur, & continuato victo-  
 riarum cursu Albam Juliam, ceterasque  
 Transylvaniae Urbes occupavit, necnon  
 totum Principatum rursus Rudolphi Cæ-  
 saris tanquam Hungariæ Regis impe-  
 rio subjecit, qui tamen, cum Transylva-  
 niam sibi, suoque filio jure hæreditario  
 unacum aliis Hungariæ urbibus, cun-  
 ctisque bonis Sigismundo Bathorio a  
 Cæsare concessis relinqui peteret, ac de  
 Turcarum societate admodum suspen-  
 ditus esset, necnon Præfecturam aliis a  
 Rudolpho submissis cedere, & Georgio  
 Bastæ



**Sæcul. XVI.** **A.C. 1599.** Bastæ parere renueret, Cæsaris indignationem incurrebat, quod novis multibus fomitem præbuit.

§. LXXXVI.

*Andreas Bathorius Cardinalis miser trucidatus.*

*Ciacon. to. 4. p. 107.* *Spond. hoc ann. n. 2.* *Thuan' l. 122* *Offat. epist. ad Villaregium die 13.* *Jan. ann. 1600.* **N**ondum hic stetit sinistrae fortunæ Cardinalem Bathorium insequenti-  
tis invidia; cum enim in fugam actus  
Claudiopolin venisset, secumque aspici-  
tatis, quas potuit, pretiosissimis re-  
bus Hustam, inde ad gentilitiam ur-  
bem Somlion nomine secessisset, a Georgio  
tamen Basta interceptus est, atque inter-  
tato mortis metu non nisi tradita Alba-  
Julia libertatem redimere potuit: om-  
misso igitur præcipuo Transylvaniæ pro-  
pugnaculo, cum nullibi tutus esset, per  
montana errando, famemque, ac sitim  
tolerando securitati suæ consulere cog-  
batur, ac demum ad montis Aitolli ra-  
dices in Transylvaniæ finibus cum sa-  
rum paucis perveniens, ementita velte  
fluvium trajicere parabat: attamen a  
rusticis quibusdam Michaeli Voivode  
inservientibus agnitus nono post insau-  
stum prælium die misere trucidatus est;  
nec tamen adhuc tanti viri cæde bar-  
barorum furor satiabatur, quippe in  
ipsius etiam cadaver sævientes mortuo  
caput abscindebant, illudque Michael  
Vala-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

Valachiæ Duci submittebant, qui tamen  
 infaustam Cardinalis sortem miseratus,  
 corpus unacum capite resecto in vicinio-  
 ribus ædibus tumulari iussit, paulopost  
 autem Albam - Juliam translatum ibi-  
 dem magnificentissimis sepulturæ hono-  
 ribus decorabat, funus comitante ipso  
 Voivoda, cunctisque exercitus sui Du-  
 cibus, ceterisque militibus, qui una  
 omnes tantæ spei juvenem vix triginta  
 tres annos emensum, ac tam sævo ad-  
 versæ fortunæ fato prorsus indignum de-  
 plorabant: porro priusquam hujus Car-  
 dinalis mors Rudolpho Cæsari innotue-  
 rat, hic datis ad Clementem VIII. lite-  
 ris vehementer adversus illum quereba-  
 tur, quod posthabita christiani nominis  
 Religione cum Turcis clandestina fovif-  
 set consilia, quocirca idem Rudolphus  
 Papam rogabat, ut hunc Cardinalem  
 anathemate percelleret, nec non Ro-  
 mana Purpura spoliaret: paulo post ta-  
 men Malaspina sanctæ Severinæ Epi-  
 scopus, qui Papæ Nuntium apud Cæ-  
 sarem agebat, literis suis Clementem  
 VIII. de Andreæ Cardinalis clade, ac  
 nece ei a rusticis illata certiolem redde-  
 bat. Sub idem quoque tempus alius  
 Papæ Nuntius, qui in Polonia erat,  
 summo Pontifici perscribens Malaspi-  
 nam accusabat, quod ipsemet in hujus  
 Cardinalis necem conspirasset, ac pro-  
 pterea

*Hist. Eccles. Tom. LII.*

H h

pterea



Sæcul. XVI  
A.C. 1599.

pterea tam privatæ, quam publicæ au-  
direntur indignationes eorum, qui Nun-  
tiis Apostolicis haud ultra fidendum  
edicerent: insuper idem suadebat, ut  
illi, qui Bathorio necem intulissent,  
censuris, pœnisque ecclesiasticis coer-  
cendi forent. Perceptis hisce literis  
Clemens Pontifex conventum novende-  
cim Cardinalium celebravit, atque eis  
deliberandum die duodecima Januarii  
anno sequenti proposuit, quid hoc in  
negotio demum agendum esset: al-  
teriversa erat eorum opinantium sententia,  
potissimi tamen censebant, quandoqui-  
dem de necis Auctore, an Catholicus,  
vel hæreticus foret, nil certo constare:  
aliunde vero hic Purpuratus in bello  
arma gerens, ac sæculari habitu indutus,  
& duntaxat tuendis paternis ditio-  
nibus, non autem propagandæ fidei,  
vel Ecclesiæ intentus sanguinem profu-  
disset, a censuris omnino abstinendum  
esse, donec quid certius de re gesta com-  
periri posset. Præplacuit prudens hoc  
consilium, quocirca haud severior hanc  
in rem inquisitio habebatur. Ceterum  
hic Cardinalis Musis longe magis, quam  
Marti, & armis natus, Patrem habuit  
Christophorum Bathorium Transylva-  
niæ Principem, cujus frater nomine  
Stephanus Poloniæ Rex creabatur, qui  
etiam Andream Nepotem suum adhuc  
adoles-



adolescentem Romam decreverat, ut  
 Gregorii XIII. Pontificis pedes deoscu-  
 latus Polonici Regni negotia eidem im-  
 pensius commendaret. Andreas ergo  
 die trigesima Novembris divo Andreae  
 nominis sui Patrono sacra anno Christi  
 millesimo quingentesimo octogesimo ter-  
 tio tanquam Poloniae Regis Orator Ro-  
 mam ingressus est, ubi tam praecleara  
 virtutum, excelsique animi specimina  
 edebat, ut ab ipso summo Pontifice, qui  
 Stephano ejus Patruo ob singulare Ca-  
 tholicae fidei studium impense favebat,  
 die quinta Decembris Protonotarius A-  
 postolicus renuntiaretur, ubi etiam in  
 secreto Purpuratorum Senatu nomine  
 Stephani Regis Patru sui filialis obe-  
 dientiae pensum exsolverat: insuper an-  
 no reparatae salutis millesimo quingen-  
 tesimo octogesimo quarto die decima Ju-  
 lii ab eodem summo Pontifice in Eccle-  
 sia sancti Marci rubrum, ut vocant, Bi-  
 retum, septima autem ejusdem mensis  
 die galerum accepit, Cardinalibus Dia-  
 conis adscriptus. Praefuit primo Ec-  
 clesiae sancti Adriani, ac postea sancti  
 Angeli in foro piscium: praeterea lite-  
 rarum commercio a Divo Carolo Bor-  
 romaeo honoratus sub Sixto V. Varmi-  
 ensem Episcopatum adeptus est, hoc  
 autem anno in acie minus secundam, in  
 fuga vero omnino adversam expertus

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1599.

H h 2 for-



Sæcul. XVI. fortunam, meliore forte dignus obit,  
A. C. 1599. ut mox retulimus.

## §. LXXXVII.

*Frustranei conatus de pace cum Turcis  
 ineunda.*

*Mansor Hist.*  
*Venet. l. 15.*  
*Spond. hoc*  
*anno n. 5.*  
*Thuan. l.*  
*122. Petrus*  
*Reva. de co-*  
*ron. Hung.*  
*cent. 6.*

Cum erepta Bathoriis Transylvania  
 Georgius Basta Cæsarei exercitus  
 Bellidux Michaellem Valachiae Voivodam  
 ob literas ad Temesvariensem Ba-  
 flam datas de turcica societate suspi-  
 ctum haberet, eum e Transylvania cede-  
 re coegit, illumque ob suam erga Hun-  
 gariae Proceres crudelitatem omnibus  
 infensum prope Viceburgum, ubi castra  
 metabatur, aggressus profligavit, at-  
 que in fugam egit: ex mutuis vero hisce  
 Christianorum dissidiis Turcæ, ut ipsis  
 solenne est, majora rerum suarum in-  
 crementa parare satagebant, quippe  
 captata exinde occasione Tartaros Præ-  
 copientes, quibus fœdere juncti erant,  
 incitarunt, ut prædabundi Hungariam  
 invaderent: hi ergo ad turcici Impera-  
 toris mandata haud segnes christianæ di-  
 tionis pagos ferro, flammaque depopu-  
 labantur, ingentique pecorum copia ubi-  
 que abacta quamplurimos Christianos  
 nec ætatis, nec sexus, neque condi-  
 tionis habita ratione in miseram capti-  
 vitatem abstrahabant, & florentissimum  
 nec non fertilissimum solum tam fœde  
 devastarunt.



devastabant, ut nec posteriori tempore ad pristinam fertilitatem revocari posset, unde enatum est proverbium, quod *herba, quam semel ungulae equorum turcicorum tetigissent, nunquam postea reflorescat*: ut vero Turcarum Imperator præclaræ felicitatis cursum, ac heroicis Rudolphi Cæsaris conatus præpediret, ac parando bello tempus lucraretur, suos Bassas, nec non Chanum Tartariæ Principem subornabat, ut simulato pacis ineundæ studio Christianos distineret, quem in finem venerunt primo in quamdam Danubii insulam Budam inter, & Strigonium sitam Strigoniensis Archiepiscopus, Palfius, Nadaftius, & Pelzius a Cæsare missi, Murates vero Tartarorum Principis Bellidux, & Achmetes Aga a Turcis illinc ablegati fuere, qui omnia loca, etiam Strigonium, sibi reddi postulabant, ejusque loco Agriam offerebant; verum hac conditione rejecta, cum interea Tartari ab excursionibus minime cessarent, prodita eorum fraude Turcarum Oratores re infecta dimissi sunt: porro interea Tartari continuata rabie Tolnam oppidum comburunt, civibusque interemptis, fæminisque, ac imuberibus captis usque ad Album-montem, ceterasque montanas urbes, totamque regionem cis Danubium rabida velocitate emetiebantur, abs dubio at-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.



Sæcul XVI.  
A. C. 1599.

rociora tentaturi . nisi Nicolaus Palfius cum copioso milite accurrens unacum præda captivos omnes recuperasset, ubi etiam Vaccienfes, & Strigonienfes Præfidiarii Turcas, Tartarosque ingenti clade affecerunt, prosperoque successu erecti Valin arcem occuparunt : insuper Hungari ex Budensium gregibus die vigesima octava Martii ingentem copiam abegerunt, atque octava Aprilis cæturæ Turcarum quamplurimis Canisam, unde pabulatum egrediebantur, præda onusti rediere, die autem decima octava ejusdem Mensis Adolphus Schwartenburgicus unacum Nicolao Palfio, & Nadasstio Budam, Albamque regalem expugnare moliebantur : attamen ab exploratoribus intempestive proditi nonnulli incensis suburbiis, captisque viginti navibus retrocedere cogebantur : nihilominus ipsum hujus classis Præfectum captum abstraherant, cumque Hungari, quos Heiduccos appellant, comperissent, quod hic eorum socios antea captos insolitis excruciasset suppliciis, hanc crudelitatem ulturi Bassam ad palum alligarunt, atque excussis omnibus dentibus, barbæque capillis sigillatim evulsis, & postremo membris omnibus confractis interemerunt, atque animosiores facti turcicam classem, quam die vigesima Junii ad paludosum quemdam locum



locum in anchoris hærere compererant, Sæcul XVI.  
A.C.1599.  
 toto impetu adoriuntur, ac quinquaginta duas naves tritico, pecunia, aliisque rebus onustas partim aquis submergunt, & partim captas abstrahunt. Cæsi fuerunt ex Palsii militibus ferme duo millia, Turcarum autem periire plusquam sex millia, Christianorum quadringentis, & amplius in libertatem assertis: hoc autem successu elati Cæsarei ad Formarum castellum copias admovent, sed non sine suorum clade ibi obsidionem solvere compulsi ductore Paulo Niaro Vareduni Præfecto Zarcadam expugnant, præfidiariis qua captis, qua cæsis: postea Schwarzenburgus denuo Budam, Pestumque ineunte Mense Augusto aggressus est, haud alio conatus successu, quam quod Budensem Bassam captum abduceret, ipse vero in Pestensi obsidione graviter sauciaretur. Interea Tartari prope Strigonium plusquam octo Christianorum millibus in captivitatem abstractis superiorem, qua late patet, Hungariam depopulabantur, nihilominus Turcæ rursus de pace agere cœperunt, ac Serdeoes apud Otthomanos maximæ auctoritatis Bellidux, qui cum ingenti exercitu Strigonium invasurus credebatur, se veluti novum Oratorem a Turcarum Imperatore missum simulat, atque ad Palsium perscribit, significans,

H h 4

quod



Sæc. XVI.

A.C. 1599.

quod scire vellet, quæ demum pacis spes esset; nam si eam christiani respicerent, exercitum numero, potentia, & alacritate formidandum paratum esse scirent. Ad hæc Palsius respondit, Christianos a pacis consilio haud alienos esse, petere tamen, ut Turcæ omnes captivos redderent, & Tartari ab excursionibus abstinere: cum vero Sædeos frivolis excusationibus tempus industria terere intentus esset, tam Christiani, quam Turcæ mutua clade, ac alternante fortuna decertabant. Hoc item anno quidam turca ex Hispania Boetica Constantinopolim profugus Ottomanis Proceribus persuadere nitentur, ut Mauros ab Hispanorum jugo liberare aggredierentur, ipsoque Christi Domini sepulcro Christianis adempto Franciscanos ex Palæstina eiicerent, si vero si facere recusarent, eos nunquam de Christianis victoriam reportaturos dicebat, cum propterea Rudolpho Cæsari secunda adspiraret fortuna, eo quod crebra Donaria ad hunc locum submitteret. Hoc comperto Mahometes Tatarum Imperator mox sacra dona auferri, ac sancti Francisci alumnos expelli iussit, reclamantibus tamen Regis Franciæ, & Venetæ Reipublicæ Oratoribus suum mandatum revocavit.

S. LXXXVIII.



§. LXXXVIII.

Sæcul. XVI.  
A.C.1599.

*Funestum Marci Antonii Marchionis  
de Maximis fatum.*

Eo tempore inter nobilissimas Roma-  
næ Urbis familias præprimis re-  
splendebat illa Marchionum de Maxi-  
mis, quæ quamvis in quatuor divide-  
retur ramos, præcipuus tamen erat  
Marchio de Presseda, qui mortua sua  
conjugæ ex Sabelliorum genere orta  
quinque superstites habebat filios  
venustate, virium robore, ac gigantea  
ferme corporis proceritate conspicuos,  
nec non in cunctis Nobilium exercita-  
tionibus versatissimos: porro sub idem  
tempus acciderat, quod Marcus Anto-  
nius Columna e Sicilia ad quoddam  
oppidum, cui nomen Vicus Varronis  
est, delatus inde Romam veniret, una-  
cum quadam nobili fœmina, quam  
perdite amabat, eamque a domo Pa-  
rentum suorum, qui abs dubio illam  
neci dedissent, e Sicilia subductam in  
suo Palatio asservabat. Hæc mulier ve-  
nustatis suæ illecebris Viduum Mar-  
chionem de Maximis tantopere fascina-  
bat, ut posthabita suæ famæ, ac nobi-  
litate ratione illam connubio sibi socia-  
re decerneret: obstabant equidem ejus  
Fili, nihilque intentatum, atque in-  
ausum relinquebant, ut tam indignas

*M. S. Cod.  
Rom. Pro-  
cess. jud.  
contra  
March. de  
Maxim.*

H h 5

præ-



**Sæcul. XVI.** præpedirent nuptias : ast incassum o  
**A.C. 1599.** mnia , senex enim hic Marchio paulo  
 post juvenem hanc puellam ducit , que  
 vespere ad Mariti domum deportata præ  
 ceteris sciscitabatur , ubinam ergo esset  
 ejus Filii , quorum decantata animi for  
 titudo , ceteræque corporis dotes illis  
 conspiciendi desiderium in ipsa accen  
 derunt : igitur Parens , ut sponsæ sue  
 voto satisfaceret , Filios suos accersit  
 jubet , qui tamen Patri suo per quos  
 dam famulos nuntiabant , nolle se hoc  
 vespere nuptiarum solemnia intertur  
 bare , se autem crastina die obsequium  
 quod novæ huic sponsæ deberent , præ  
 stituros : quapropter ambigui hujus re  
 sponsi malitiam haud penetrantes Spon  
 si noctem quiete transigebant : cum au  
 tem senex hic Marchio summo Ponti  
 fici a cubiculis esset , quamprimum e  
 domo sua ad Quirinale Palatium perve  
 nerat , ejus discessu per exploratores  
 cognito mox quatuor ejus filii Sponsam  
 visum venerant , ac illam officiose ipsi  
 occurrentem ne verbo quidem digna  
 bantur , sed confestim sclopeto pectori  
 impacto interemerunt , ubi nulla mora  
 parentum , suorumque amicorum au  
 xilio , ac potentia suffulti affugerunt ,  
 interea paucis post horis Marchio do  
 mum reversus ad tam funestum specta  
 culum corruit , vocis , sensuumque usque  
 desti-



destitutus, tandem vero linquentem animam revocans, oculosque lacrimis manantes ad Crucifixi imaginem elevans Dei vindictam provocabat, ac quatuor filios suos tanti sceleris reos diris devovens Pompæium quintum filium suum innocentem adesse jussit, eique bene precatus ipsum unicum Familiæ, ac facultatis suæ hæredem nominavit, ceteris vero filiis mortem magis adhuc crudelem, quam ejus conjugii intulissent, imprecatus accersito tabellario facinorosos omnibus bonis exutos declarabat: ipse autem animi mærore, assiduisque lacrimis consumptus paulo post obiit.

§. LXXXIX.

*Lucas primogenitus hujus Marchionis filius veneno a fratre suo occisus.*

**E**nimvero justa senis hujus Patris maledictio effectu suo, eoque satis funesto haud caruit; quamvis enim ob prævalentem potentiam Columnensium, quibus sanguine juncti erant, fugitivi hi filii a suo scelere, ac promerita pœna fuissent soluti, sub obtentu, quod propriæ familiæ honorem tuendi necessitas, nec non justis doloris vehementia ipsos ad hoc facinus impulisset, divinæ tamen justitiæ pœnam effugere haud poterant; quippe exorta inter quatuor hosce fratres invidia, ac dissensione Marcus

Sæcul.XVI.  
A.C.1599.

*Att. Jud.  
Marc. Anton. de  
Max.*



**Sæcul. XVI.** **A.C. 1599.** **cus** Antonius secundo-genitus Marchio-  
 nis filius Lucam fratrem suum primo-  
 genitum trucidare statuit, hancque in-  
 rem potentissimum venenum præparari  
 curavit, utque certum virtutis ejus ex-  
 perimentum caperet, illud prius suo an-  
 rigæ propinavit, ac demum etiam vi-  
 unquam audita impietate Lucæ fratri  
 suo præbuit, qui etiam paucas post ho-  
 ras fatis functus est.

§. XC:

*Marcus Antonius secundo genitus filius  
 captus, atque extremo supplicio  
 affectus.*

**A**ttamen tam inopina hujus Marchio-  
 nis mors, nec non ipsa Medicorum  
 suspicio, ac tandem haud obscura pro-  
 pinati veneni indicia primo clam mur-  
 murandi, ac demum palam Marcum  
 Antonium veluti fratricidii insimulan-  
 di ansam præbebant: rumore autem ad  
 ipsos etiam Purpuratos delato Ascanius  
 Cardinalis Marcum Antonium ad se ac-  
 cersitum his verbis interpellabat: „haud  
 „temeraria fratricidii suspicio in te ca-  
 „dit, notum autem tibi est, summum  
 „Pontificem esse implacabilem ejusmo-  
 „di scelerum vindicem: si ergo reum te re-  
 „darguit conscientia, celeri fuga salutis  
 „tuæ prospicias velim“. Verum hic Ju-  
 venis interposita etiam juramenti Reli-  
 gione



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

gione facinus pernegabat : haud multo tamen post tempore cum publice Romæ in monte Jordanis pila luderet , in supremum licitorum Præfectum , alias *Barigellum* dictum , qui tum inter ceteros spectatores aderat , sæpius oculos convertibat , tamque defixis , perturbatisque oculis illum intuebatur , ut potius huic justitiæ Ministro , quam pilæ juxta lusus legem repercutiendæ intentus videretur : tandem vero timorem , quem rea conscientia incusserat , dissimulare , ac reprimere sollicitus , non sine adstantium stupore Barigellum interrogabat , quo ex negotio huc venisset : ille autem respondebat , quod unice ipsius dexteritatem admiraturus accessisset : si vero ejus præsentia ipsi moleste accideret , mox recedere paratus foret , prout etiam confestim abiit , inde tamen aucta fratricidii suspicione Barigellus Gubernatorem adiens ex indiciis haud obscuris Marcum Antonium mortis tam Matri , quam fratri illatæ saltem conscium fuisse asseverabat , quocirca ad Gubernatoris mandatum mox eundem e domo sua egredientem ad carceres novos abduxit , ubi fori criminalis Judex Marchionem admonuit , ut tormentorum crudelitatem ultronea confessione declinare vellet , cum autem se innocentem contestaretur , ac Judex digitum duntaxat

xat



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

xat ad equuleum extenderet, mox Marcus ad rotæ conspectum animo concidens fratricidium a se commissum ultro fatebatur, cunctis reæ conscientiae vim nec non inperscrutabilem divinæ justitiæ dispositionem vel maxime eo ex capite stupefcentibus, quod tam rare fortitudinis Juvenis, qui ad ostentandum virium suarum robur quandoque se a familiaribus suis equleo extendi permiserat, nunc ad unicum hujus tormenti aspectum conterritus non sine propria vitæ, honorisque sui dispendio crimen suum fateretur: discussa igitur, ac conscripta ipsius confessione tota rei series ad summum Pontificem referebatur, qui etiam Marchionem capitali poena dignum pronuntiabat, qua sententia ad reum delata ipse quantocius in genua sua procumbens exclamabat: „non ego „ex libero meo arbitrio delictum meum „confessus sum, sed labia, linquamque „meam vindicis, Omnipotentisque Dei „voluntas aperuit: peccavi, fateor, hanc „que pœnam, magisque atrocem pro „meritis grates Deo maximas rependo, „quod ad salvandam animam, quam „per Christi Domini Passionem mundari „ri spero, sufficiens temporis spatium „nactus sim“. His dictis e terra surgens arrepto calamo prolixas omnino epistolas ad Columnam Cardinalem, atque ad



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

ad ambos residuos suos fratres perscripsit, demum vero die decima sexta Junii e carcere productus inter fervidissimas preces, uberesque pœnitentiæ lacrimas ferale pegma conscendit, ubi se a carnifice tangi haud sustinens pileum, ac colare sibi a Sodalibus abstrahi voluit, caputque suum ad pallum inclinans feralem ictum accepit.

§. XCI.

*Philippi Mornæi liber a Parisensi Facultate Theologica proscriptus.*

Eodem adhuc Mense Facultas Theologica Parisiis Philippi Plesii Mornæi Salmurensis Gubernatoris librum, cui titulus *Historia Papatus*, censura notabat. Hic idem Author Regi quidem acceptissimus, nec non tranquillitatis in Regno promovendæ studiosissimus erat, Calvinianæ tamen sectæ, quam profitebatur, socios, eorumque pertinaciam tam ore, quam calamo, auctoritateque sua potenter tuebatur, perversoque hoc studio animatus, ac præcipue Catharinam Henrici IV. Regis sororem in sua hæresi confirmandi ardore accensus pestiferum plane librum de Missæ Sacrificio, Romano Pontifice, aliisque christianæ Religionis articulis consarcinabat, cui sequentem præfixit titulum: *De Institutione, ac veteris Ecclesiæ usu, doctrina*

*Argentri  
Conclus.  
Facult. Paris tom. 2.  
p. 535.  
Guil. de  
Pug. merveilles des fau-  
steter du  
Mr. Mornay.*



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

*doctrina circa Eucharistiæ Sacramentum  
& quomodo, ac quando sensim Missa fuerit  
subrogata.* Hic liber eo magis pernicio-  
sus erat, quo certius timendum, ut  
Franciæ Rex non ita pridem ad veram  
fidem reversus, cum huic viro plurimum  
faveret, perversæ ejus doctrinæ erro-  
ribus denuo seduceretur, præcipue cum  
jam alii plurimi hoc libro ob styli elegan-  
tiam, quam ad supplendum veritatis  
defectum affectare hæreticis familiaris  
est, decepti fuissent: ut igitur huic ma-  
lo, ac futuro periculo Parisiensis Fa-  
cultas Theologica tempestive præcave-  
ret, hoc anno die secunda Junii præsti-  
ta juramenti Religione, ac præmissis  
sacro solemnibus de Spiritu Sancto in ma-  
jori Collegii Sorbonici aula conventum  
habuit, ac re mature discussa hunc li-  
brum perlegi prohibuit, eumque audi-  
tis, collectisque singulorum Doctorum  
sententiis, demum censura notavit, cu-  
jus verba, utpote verum Religionis ad-  
dorem spirantia, huc recensere haud in-  
consultum erit: igitur Facultatis Deca-  
nus, ac Doctores hunc in modum peti-  
orabant: *Error, cui non resistitur, non  
probat, & veritas, cum minime deservit  
tur, opprimitur, ait Joannes Papa: ne-  
gligere quippe, cum possis deturbare perversos,  
nihil aliud est, quam sœvere, quemadmodum  
modum Authore divo Gregorio incauta*



cutio multos pertrahit in errorem, & etiam **Sæcul. XVI.**  
 indiscretum silentium eos, qui erudiri pote- **A.C.1599.**  
 rant, in errore sæpe reliquit, quam ob rem  
 Majores nostri, si quando non apud Gallos  
 tantum, sed vel apud exterarum nationes, vi-  
 cinosque populos nasci, aut renasci errores,  
 ac hæreses, vel in moribus animadvertent,  
 eosque a sectariis vel docendo, vel scriben-  
 do Diabolo suadente prædicari, & spargi  
 in plebem christianam intelligerent, illi sta-  
 tim pro sua tum pietate, & doctrina,  
 quam animi præstantia, ac fortitudine, or-  
 dinisque autoritate, & officio, erroribus  
 illis, ac impietatibus adhibita matura, gra-  
 vique censura occurrere, hæreses illas extin-  
 quere, ac ne latius serperent, & gregem  
 domini inficerent, non tantum verbo, sed  
 scripto etiam, cum opus fuit, & tempus  
 exigebat, prohibere conati sunt.

Nos eodem studio permoti, eorumque  
 vestigiis insistentes, cum nefarius quidam li-  
 ber, cujus inscriptio est (de Institutione,  
 ac veteris Ecclesiæ usu, doctrina circa  
 Eucharistiæ Sacramentum) ab infelicis  
 hujus sæculi Novatoribus sub Philippi Mor-  
 naci nomine contra præcipuum Religionis  
 Christianæ Sacramentum, & Sacrificium,  
 totiusque visibilis Ecclesiæ caput Romanum  
 Pontificem evulgatus in manus nostras inci-  
 disse, compertumque haberemus, librum  
 illum multorum teri manibus, ejusque virus  
 exitiale non tam lateribus insidiari, ac re-  
 Hist. Eccles. Tom. LII. li motis



Sæcul. XVI.

A.C. 1599.

motis civitatibus imminere, quam in floridissima quondam Galliarum Regni præcipua membris, & visceribus insidere, & gravari, & prædictum librum diligenter, tamen sine fastidio, & mærore evolimus, ac ne malum istud velut cancer irremediabile ovile Christi misere depasceret, hanc censuram adhibendam, cautelamque populo Christiano proponendam esse duximus. Postea sequebatur censura hujus tenoris: Prædictus liber sub nomine Philippi Mornacianus sacris divinæ Scripturæ Oraculis, conciliiis Conciliis, Patrum Orthodoxorum scriptis, doctrinæ demum Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ omnino contrarius, utpote qui innumeris scatet erroribus, pridem ab ea Ecclesia damnatis, ac reprobatis, execrandisque blasphemis, impudicissimis mendaciis, & omnis generis imposturis, ideoque non modo non tolerari, christianæ plebi quovis modo permitti, sed flammis omnino deleri, ac comburi debet. Rogat vero obnixè eadem Facultas illustrissimos Ecclesiæ Romanæ Cardinales, nec non quanto potest, pietatis, & charitatis affectu, obsecrat Reverendissimos Antistes, & in primis Reverendissimum in Christo Patrem Parisiensem Episcopum, ut pro suo officio, & pietate erga laborantem Ecclesiam omnium Matrem, ejusmodi librum, & quoslibet similes legi, haberi, ac servari prohibeat populis sibi a Domino concreditis sub



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

thematis pœna, & divini interminatione judicii, ne sanguinem animarum, quæ hoc veneno corruptæ interjerint, ab illis repetat justus Judex, cujus oves propriæ sunt. Exorat etiam, & hortatur in Domino Magistratus omnes sæculares, ac præsertim supremum Senatum Parisiensem, ut pro sanctissima Regis nostri Christianissimi intentione, ac voluntate, proque suo in tuenda Religione Catholica, & servanda justitia antiquo, & incredibili studio, suis, bonorumque omnium votis adsint, & faveant in tam utili, & salutari officio, suamque auctoritatem, & manum interponant, ut prædictus nefarius liber non Religioni modo, sed publicæ etiam paci, ac tranquillitati contrarius de medio tollatur ad majorem Dei Omnipotentis gloriam, cui servire regnare est, ad Ecclesiæ pacem, totiusque Christianissimi Regni concordiam, & tranquillitatem, sui que Ordinis, & nominis perpetuam commendationem. Hac censura animatus Jacobus David Perronius Ebroicensis Episcopus, qui quarto post anno Romana Purpura decoratus est, coram ipso Rege, & Judicibus a Rege deputatis adversus eundem Pleffæum Mor-næum apud fontem-bellaqueum publicam habuit disputationem, in qua hunc Auctorem quam plurimorum mendaciorum, atque imposturarum palam



Sæcul. XVI. convincebat, hujusque concertatione  
A C. 1599. acta publici juris faciebat.

§. XCII.

*Diamperienſe Concilium.*

*Acta Concilii.*  
*tom. 10. p.*  
*1930. Spond.*  
*ad hunc ann.*  
*n. 17.*  
*Possev. ap-*  
*par. verb.*  
*Diamper.*

**H**oc item anno Mense Junio in oppi-  
 Diamper, quod in Asia prope  
 vitatem a sancto Thoma dictam situm  
 ab Alexio Menessio Goensi Archiepiscopo  
 po Ordinis sancti Augustini hortatu  
 mentis VIII. Papæ celebratum repe-  
 mus quoddam Concilium provinciale  
 in quo capita ad stabiliendam Catho-  
 cam Religionem, ac reparandam Ec-  
 clesiæ disciplinam spectantia non  
 decreta, quam in usum deducta dicitur,  
 tur, eo fine, ut Malabarica gens Ne-  
 storianis erroribus seducta ad unam  
 dem revocaretur. Ceterum hujus  
 nodi acta quamvis haud integra  
 no sermone primum ab Antonio de  
 vecca anno Christi millesimo sexcenti-  
 mo sexto Coimbræ vulgata extant eaque  
 Joannes Facundus Raulin Augustini-  
 nus latine postmodum Romæ anno 1745  
 edidit, notisque illustravit, atque er-  
 ditis auxit dissertationibus: insuper  
 annes Camporeus Jesuita, uti Posse-  
 vinus in suo apparatu testatur, Viap-  
 cotta ex India Orientali hoc anno Chri-  
 sti millesimo quingentesimo nonagesi-  
 mo nono die vigesima octava Novem-  
 bris



bris epistolam transmisit, in qua gene- Sæcul. XVI.  
A.C.1599.  
ratim de hoc Concilio hæc retulit:                     

„Erat in hisce terris quidam Archiepi-  
„scopus vitæ sanctitate clarus, qui cre-  
„diti sibi ministerii haud oblitus sacras  
„Ecclesiæ functiones semper, ac præ-  
„cipue sanctioris hebdomadæ solemnia  
„tanto pietatis sensu peragebat, ut ho-  
„mines ingenti numero confluentes in  
„lacrimas diffluerent: obsistebat autem  
„Georgius Archidiaconus, qui Babilo-  
„niæ Patriarchæ Nestoriana hæresi in-  
„fecto adhærens ab Episcopi sui obe-  
„dientia penitus sese subtrahebat, atque  
„ab eodem Archipræsule excommunica-  
„tos recipiens Patriarchæ nomen e  
„Diptychis delendum negabat, multa-  
„que alia admodum impia non sine po-  
„puli offensione attentabat: cum autem  
„ipso Dominicæ Resurrectionis festo  
„quamplurimi Presbyteri, ac Delegati  
„ad veram fidem unacum omnibus hu-  
„jus Urbis civibus reverterentur, Ar-  
„chiepiscopus datis ad Archidiaconum  
„literis eundem admonebat, ut ad ce-  
„terorum exemplum resipisceret, atque  
„intra sex dies Viapicottam sese confer-  
„ret, nisi tanquam pertinax hæreticus  
„anathemate percelli mallet: his mo-  
„nitis cedens Archidiaconus petita ve-  
„nia ad Ecclesiæ finem recipitur, ab  
„ipso Archiepiscopo summa clementia,



Sæcul. XVI.  
A. C. 1599.

„ac liberalitate exceptus: sequenti  
 „tem die in præfata Ecclesia Archiep  
 „sul omnibus Ecclesiasticis per liter  
 „convocatis provinciale indicebat Con  
 „cilium eo fine, ut hærefes extirpare  
 „tur, moribusque emendatis, evulsi  
 „que superstitionibus cuncta ad divinum  
 „cultum spectantia decernerentur. Ne  
 „optatus huic cœtui deerat successus  
 „quippe cunctis hæresibus, earumque  
 „sectatoribus, præcipue vero Babylo  
 „niæ Patriarcha, anathemate percussis  
 „unâ omnes maximo cum consensu Ro  
 „manum Pontificem tanquam Christi  
 „Vicarium, ac supremum Ecclesiæ Co  
 „put profitebantur, debitumque ei ob  
 „sequium spondebant, jurato polliciti  
 „se nullum Episcopum, nisi a Romano  
 „Pontifice destinatum recepturos: po  
 „stremo tandem sui singulis Ecclesiis Pa  
 „rochi designati sunt, ad quorum su  
 „stentationem ex propriis suis redditibus  
 „mille aureos quotannis ipse Archiepi  
 „scopus assignaverat, qui etiam per  
 „cuncta Synodo Diæcesin adjunctis quibus  
 „dam Societatis Patribus perlustrabat,  
 „atque Angamalen a Diæceseos Metro  
 „polin, nec non Episcopalem sedem de  
 „latus, summo honore, & júbilo rece  
 „ptus est, ubi Sacerdotes, & Clericos, qui  
 „Concilio non intererant, ad ejurata  
 „dam Nestorii hæresin, nec non uxoria



„tos sacerdotes ad expellendas hasce  
 „foeminas inducebat, atque omnibus  
 „Nestorianæ, vel alterius sectæ libris i-  
 „gue combustis, & largissima eleemosy-  
 „na in pauperes erogata, peractisque  
 „ceteris boni Pastoris officiis uberri-  
 „mam Evangelici laboris sui segetem  
 „reportabat.,,

Sæcul. XVI.  
 A.C.1599.

§. XCIII.

*Horrenda Francisci Cæncii ini-  
 quitas.*

Regnante Pontifice Clemente VIII. Ro-  
 mæ Franciscus Cæncius nobilis Ro-  
 manus violenta morte occubuit. Erat  
 is Filius unicus Cæncii sub Pio V. the-  
 saurarii, post cujus mortem hæreditario  
 jure quoad annuos redditus octoginta  
 aureorum millia adeptus est: attamen  
 copiosis hisce divitiis unice ad licentio-  
 sam vitam suam a debita pæna redimen-  
 dam abutebatur, & quamvis bina vice  
 ob nefanda scelera ad forum criminale  
 perductus esset, pœnæ tamen severita-  
 tem viginti aureorum millium multa  
 eludens, potius bestiarum more, quam  
 juxta christianæ legis præcepta vitam  
 traducebat, nec unquam Ecclesiam fre-  
 quentare visus duntaxat Sacellum san-  
 cto Thomæ nuncupatum in Palatio suo  
 habebat, quod a se unice eo ex fine ere-  
 ctum spargebat, ut omnes septem filios

*Acta Rom.  
 Et process.  
 Jacob.  
 Cæncii.*



Sæcul. XVI.  
A. C. 1599.

fuos, quos innato veluti odio infectaba-  
tur, ibidem sepultos cernere valeret: et  
his quoque tres natu majores Jacobum  
Christophorum, & Rochum, ut ab eju  
conspectu semoti forent, Salmanticam  
studiorum causa omni ope, atque auxi-  
lio destitutos mittebat, unde in rabien-  
tissimi Romam reverti, ac de Patris cru-  
delitate apud summum Pontificem cog-  
noscere cogebantur: re igitur composita  
e paterno domo exhibant: sub idem ve-  
ro tempus Franciscus denuo de crimina-  
ne pessimo accusatus carceri dabatur  
unde captata occasione ejus filii sum-  
mum Pontificem supplices adibant, ut  
paterem Patrem digno mortis supplicio  
e medio tollere vellet: verum Clemens  
Papa ad horum postulata exhorrescens  
illos tanquam Patri suo rebelles facesse-  
re jussit, Franciscus autem quingentis  
aureorum millibus multæ nomine nu-  
meratis liber evaserat: paulo tamen  
post Beata primogenita ejus filia a Pa-  
rente suo continuo molestata porrecto  
libello supplici Papam rogabat, ut illam  
a suis angustiis, quas pateretur, libera-  
re, ipsamque vel honesto conjugio elo-  
care, aut Monasterio includere vellet:  
itaque hujus Virginis precibus commo-  
tus Pontifex illam Carolo Gabrieli de  
Eugubio desponsari curabat, proin-  
tra illam sceleratus Parens vindictam  
suam



Sæcul. XVI.  
A.C.1599.

suam exercere haud amplius poterat: sub idem tamen tempus ambo ejus filii Rochus, & Christophorus a Sicariis Patris jussu (uti fama ferebat) interempti sunt, id tamen omnino certum est, quod eorum Parens pro funebri pompa nec obolum erogare voluerit, asserens, quod tum primum non sine magno animi sui tripudio largiter exequiarum expensas solvere velit, quando mortuis omnibus suis filiis postremum ad sepulturam deferri inaudierit, quinimo ad tantam scelerum abyssum delapsus erat, ut Beatricem secundo-genitam suam filiam, ne rursus summi Pontificis opem imploratura incæstis ejusdem desideriis eriperetur, diu inclusam teneret, eamque non raro ad ipsius lectum accedens ad nefandum crimen sollicitaret, illud non rem malam, sed Deo gratam esse ex sacræ scripturæ exemplis nefarie allatis persuadens, cum autem honesta hæc Virgo nunquam horrendæ Patris sui libidini cederet, multis continuo verberibus affecta tandem summum Pontificem velut illatæ injuriæ ultorem clam invocabat, porrecto eidem libello supplici, qui tamen a Patris fautoribus interceptus ad Papæ manus non pervenit, nec unquam postea reperi- tus est: re autem comperta Pater tam



Sæcul. XVI. filiam, quam ejus Matrem inhumana  
 A.C. 1599. prorsus sævitia excruciabat.

## §. XCIV.

*Ejusdem Cædes.*

Ut ergo Beatrix filia, necnon Lucretia Petronia ipsius Mater, quam sibi secundis nuptiis Franciscus desponsaverat, ac non raro ad nefandum suum cum foeminis, puerisque usum in ipsi conjugali thoro inspiciendum compulerat, a tyrannico, & diabolico Patris consortio sese liberarent, hinc anno prioribus ambo in ipsius vitam conjurabant, suamque improvidum consilium cuidam nobili juveni nomine Guerra manifestabant, qui operam suam spondens rem Jacobo natu majori Fratri aperiendam censebat: hic vero horrendam Patris lasciviam, crudelitatem, sordidamqueavaritiam pertæsus facile in eandem sententiam abibat, unde mutuo horum consensu duo juvenes Martinus, & Olympius aliundé Francisco insensu sollicitabantur, ut eo tempore, quo Pater Roccam - Petrellam, quod oppidum est Principi Columnæ obnoxium, animi relaxandi gratia æstivo tempore perretracturus esset, decem, vel octo e Neapolis Regno proscripti, arctaque amicitia Martino, & Olympio juncti in proxima sylva absconditi laterent, eo fine, ut quam-

pri-



primum a Lucretia de Mariti sui ad-  
 ventu certiores facti fuerint, mox il-  
 lum trucidarent: accidit tamen, ut ex-  
 ploratoribus non satis tempestive ad  
 proscriptos delatis Franciscus Parens e-  
 lufis eorum insidiis Petrellam incolu-  
 mis perveniret, nec unquam, cum jam  
 septuagenarius esset, e villa ad sylvam  
 procederet: hinc conjurati propositum  
 suum exequendi spe frustrati alia cude-  
 bant consilia, hancque in rem Beatrix  
 Martinum, & Olympium clam accerse-  
 bat, atque cum illis tam per literas,  
 quam in Palatio ad fenestras collocuta,  
 conspirante Lucretia, Jacobo, & Guerra  
 decernebat, ut ambo Franciscum somno  
 sopitum in lecto die octava Septembris  
 Beatæ Virgini natæ sacra trucidarent,  
 constituto eis bis mille aureorum pre-  
 tio, quorum mediam partem Guerra  
 Romæ, alteram vero Beatrix, ac Lu-  
 cretia Petrellæ numerarent: ambo er-  
 go Sicarii præstituta die ad ædes secre-  
 to adducuntur, Lucretia tamen tam so-  
 lemnis diei Religione absterrita Beatri-  
 cem eo induxerat, ut parricidii execu-  
 tionem ad nonam ejusdem Mensis diem  
 differret, ubi dein Mater, & filia Pa-  
 tri tantam Opii copiam cibus immiscue-  
 re, ut profundissimo somno sepultus  
 videretur; adspirante igitur primi con-  
 filii successu hi duo Sicarii ad Senis  
 gravi-

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1599.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

graviter stertentis cubile ab ipsa eius  
conjuge, ac filia introducti ad exequen-  
dum consilium ab utraque excitantur,  
quæ tamen paulopost ad interiora cu-  
bricula recedentes rei exitum præstola-  
bantur, haud parum tamen commotæ,  
cum brevi ambos re infecta redire cer-  
nerent, caussatos, indecorum sibi vide-  
ri, quod decrepitæ ætatis virum somno  
sepultum interimerent: ast Beatrix eo-  
rum ignaviam increpans ajebat: "E-  
„gone vos, qui alias ignem, & fulgetra  
„crepatis, nunc Senem dormientem ag-  
„gredi timetis, sane nequidem somno  
„excitatum comprehendere auderetis.  
„Eja ergo! vestram supplebo timidita-  
„tem, ac manu mea proprium Patrem  
„trucidabo, sciatis autem, vos haud diu  
„vita superstites fore.," Hoc Beatricis  
sermone perterrefacti Sicarii rursus cu-  
bile ingrediuntur, ac mallei ictibus fer-  
reum clavum in medio frontis infigunt,  
caputque alio ferreo fuso perterebrant,  
patratoque scelere ambo pecunias, spe-  
ciatim vero Martinus a Beatrice pal-  
lium auro ornatum recepit, quibus abi-  
re jussis Lucretia, & Beatrix e fronte, &  
occipite clavos extraxerunt, & cadaver  
e quodam altissimo solario prope anno-  
sam Sambucum eo fine præceps egerunt,  
ut Franciscus noctu curandæ necessitatis  
gratia secessisse, atque exinde cecidisse,  
nec



nec non ex acutis præfatæ arboris ramis hæc plagas accepisse crederetur. Sæcul. XVI.  
A. C. 1599.  
 Successit e voto commentum, atque altera die summo mane Lucretia conjux, ac Beatrix infaustam Patris sui mortem crebris, fictis tamen, ejulatibus deplorare audiebantur: paulopost autem filia improvide lintea sanguine copiosius conspersa cuidam lotrici lavanda tradebat, tam profusi cruoris causam, nescio quam, allegans: demum per solutis exequiarum solemnibus Mater una cum filia, ceterisque domesticis Petrella Romanam ad suum Palatium secesserat.

## §. XCV.

*Detecti hujus Cædis Authores.*

Cum Petrella oppidum intra Neapolitani regni fines situm esset, ac in oppidina Francisci Cencii mors gravem plurimis suspicionem ingereret, regius Prætor eo contendere, ipsumque cadaver mox exhumatum lustrare jubebatur, qui pluribus in carcerem datis, ac severius examinatis nullum aliud violentæ mortis indicium hauriebat præter testimonium Lotricis, quæ sibi a Beatrice altera post cædem die quædam linteamina cruore tincta fuisse tradita fatebatur, qua de re Neapolitana Curia mox Romanam certiolem reddebat, longum tamen temporis spatium intercesserat, donec

*Acta MS.  
Processus  
Cencii.*



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

donec in Francisci demortui proles inquireretur, atque interea natu minor eorum frater morte naturali eripiebatur: unde nonnisi duo Jacobus, & Bernardus vita superstites erant: postquam vero Guerra Neapoli in hujus cædis Authores exactius inquiri perceperat, mor quosdam emittebat, qui Martinum, & Olympium, ne fors capti crimen proderent, neci darent, ex quibus tamen solus Olympius Deo ita permittente occisus, Martinus vero captus ultro parricidium, scelerisque complices detegebat: jam antea autem Jacobus, & Bernardus Cencii in Sabellia Curia, quæ hodie novi carceres appellantur, Lucretia vero, & Beatrix in proprio Palatio custodiebantur, usque dum Martinus Neapoli Romam deferretur, quo adventante ambæ ad carceres pariter ducebantur, ut præsentem Martino de patratore scelere convincerentur: verum Lucretia, ac præcipue Beatrix nil sibi de tradito pallio constare affirmans, tantæ oris eloquentia, & constantia, tamque imperterritæ vultu, animoque crimen pernegabat, ut Martinus ejus firmitate animatus potius tormentorum acerbitate vitam finire, quam iterata confessione Beatricis supplicium accelerare voluerit: mortuo igitur altero hoc Sicario, cum ad proseguenda judicii acta nullum



nullum satis validum superesset argu-  
 mentum, omnes Cencii ad arcem san-  
 cti Angeli transferebantur, ubi per ali-  
 quot menses sat quiete persisterent, do-  
 nec ille Sicarius, quem Guerra ad tru-  
 cidandum Olympium corruperat, Nea-  
 poli captus Romam adduceretur, unde  
 Satellites, ut in Guerram duplicis ho-  
 micidii reum inquirerent, quaquaver-  
 sum emissi fuere, quorum tamen soler-  
 tiam Carbonarii habitum indutus elu-  
 sit: verum ipsamet Guerræ fuga, alia-  
 que haud obscura indicia tantopere au-  
 gebant conceptam in Cencios suspicio-  
 nem, ut hi ex arce rursus ad carceres  
 novos educti equuleo torquerentur, cu-  
 jus tormenti acerbitatem Lucretia, ut-  
 pote corpore nimis crassa, sustinendo im-  
 par perpetratum crimen longa serie con-  
 fitebatur: ejus tamen filia Beatrix non  
 minus minas, ipsamque tortoris sævitiem  
 animi firmitate, quam ipsum etiam Judi-  
 cis examen promptis, aptisque respon-  
 sionibus eludebat: porro tanta hujus  
 puellæ sagacitas omnium admiratio-  
 nem in se rapiebat, atque ipsemet sum-  
 mus Pontifex rei novitate commotus  
 totam examinis seriem sibi exhiberi  
 postulabat, ut ipse iudicii acta mature  
 ponderare, ac discutere valeret, & quam-  
 vis Judicem in Beatricis favorem con-  
 spirasse haud cognosceret, illum tamen  
 forte

Sæcul. XVI.

A.C. 1599.



Sæcul. XVI. forte ejus venustate obcæcatum suspi-  
A.C. 1599. catus, totam causam alteri commit-  
 tebat Judici, qui ream fune ligatam ad  
 Matrem, fratresque suos conduci iussit  
 qua conspecta Jacobus his verbis eam  
 alloquebatur: *Soror charissima peccati-*  
*mus, ergo ut salvetur anima, penitentiam*  
*agere, ac prompto animo mortem excipere,*  
*non autem vi ad illam raptari oportet:*  
 ad hæc imperterrita Juvenis re-  
 spondit: "Ergone vos familiam nostram  
 „infamiae nota afficere, ac mortem sub-  
 „re vultis? male vobis consultis."  
 His dictis parumper cogitabunda hæ-  
 rens ad lictores inquiebat: "Solvite  
 „vincula, ac ceterorum examen, & re-  
 „sponsa mihi prælegantur, tum affirman-  
 „da affirmabo, & neganda negabo."  
 cum igitur & ipsa hoc modo convicta  
 esset, una omnes a vinculis liberi, qui  
 hucusque per quinque Menses mutuo  
 consortio privati erant, simul prandere,  
 ac jucunda conversatione uti voluerunt.  
 altera autem die Jacobus, ejusque fra-  
 ter Bernardus ad alios carceres duce-  
 bantur, Pontifex vero percepta integra o-  
 mnium confessione reos equorum caudis  
 raptari voluit, cujus tamen sententiae ri-  
 gore permoti Cardinalium, ac Procerum  
 quamplurimi Papam rogabant, ut Bea-  
 trici ad ipsius defensionem viginti quin-  
 que dierum spatium indulgeret. An-  
 nuit



Sæcul. XVI.  
A. C. 1599.

nuit ille, atque infra hoc tempus celeberrimi Romanæ urbis Advocati generosæ hujus Virginis patrocinium in se susceperant, atque inter alios Nicolaus de Angelis tam validas pro sua cliente rationes proferebat, ut Papa obstupefactus exclamaret: „Ergone Romanæ inveniuntur Filix Parentum homicidæ! ergone reperiuntur Advocati, qui tamen illarum patrocinium in se suscipere audeant. „ Ad hæc solus respondit Farinaccius: „Beatissime Pater, nequaquam ad protegendam sceleris enormitatem, sed duntaxat ad liberandam innocentiam huc convenimus, si igitur Sanctitati Vestræ ita libuerit, nostras exponemus rationes. „ Unde Clemens Papa non sine ingenti patientia Causidicos integris quatuor horis perorantes excepit, quibus dimissis Altierus Princeps ad Pontificis pedes provolutus ita effatus est: „Pau-perum Advocatus sum, mearum ergo partium est, ut miseræ hujus filix causam Vestræ Sanctitati impense commendem: „ ad hæc reposuit Pontifex: „vade, tuo satisfecisti officio. Hoc abeunte Clemens in discutienda hac causa totam noctem insumens, ne momento quidem quieti indulgebat, sed unacum sancti Marcelli Cardinali Advocatorum rationes mature examinaverat, ac

Hist. Eccles. Tom. LII.

K k his



**Sæcul. XVI.** his veluti expugnatus per summam  
**A.C. 1599.** clementiam præceperat, ut reis e carcere eductis temporis beneficium indulgeretur: sub idem vero tempus ad Papam referebatur, quod Constantia Marchionissa de sancta Cruce sexagenaria a Paulo filio suo iteratis pugionibus Sublaci trucidata fuisset, quapropter Pontifex recenti parricidio etiam Matricidium adjungi intelligens, justitiam zelo accensus, ne tam horrendi sceleris impunitas peccandi libertatem induceret, proxima feria sexta Cenciorum causam Tavernæ Romano Gubernatori dijudicandam reliquit.

## §. XCVI.

*Lucretia, Beatrix, & Jacobus Cencii ultimo supplicio affecti*

*Relat. crimin. contra Cencios.*

Igitur Gubernator habito mox judicio confessu omnes Cencios capitali sententia plectendos esse decernebat, et autem comperta Cardinales, ac Proceres tota nocte summum Pontificem fatigabant, supplices, ut Lucretiam, & Beatricem saltem privata morte e medio tolli permetteret, ipsi vero Bernardo utpote criminis minime conscio vitæ gratiam faceret. Idipsum Cardinalis Sforzia impensius a Papa efflagitabat, ac Farinaccius quoque sua eloquentia eundem eo inclinabat, ut Bernardus



Sæcul.XVI.  
A.C.1599.

dus vitæ veniam obtineret. Demum nocte ad medium vergente captivis lata mortis sententia denunciabatur, quam Lucretia Mater, ejusque filii tranquilla mente exceperant, Beatrix vero in lacrymas, atque ejulatus impotenter effusa exclamabat: *Bone Deus! ergone tam subito, tamque indigne mihi moriendum?* postea tamen in se reversa, crimenque suum pœnitentiæ lacrimis expians se se totam divinæ voluntati commendabat, accersitoque tabellario, ut corpus suum in Ecclesia sancti Petri in monte aureo sepeliatur, necnon ex dote sua pro quindecim puellis dotandis totidem aureorum millia quotannis distribuerentur, testamento caverat, quo exemplo animata Lucretia pariter in Templo sancti Gregorii in monte Celio sepeliri, ac viginti quinque aureorum millia in pias causas erogari voluit. His ita dispositis reliquas noctis horas fervidis precibus consecraverat, rursusque expiata conscientia sacram Synaxim receperat, Beatrix vero pro se, suaque Matre vestes non ad pompam, sed luctum compositas sibi afferri jussit, quas ambæ postremum sibi invicem ministerium exhibentes induebant. Die ergo secunda Septembris, in quam Sabbatum inciderat, in foro prope pontem sancti Angeli ferale erigebatur pægma una-

K k 2

cum



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

cum querno trunco, ascia, & duobus  
plaustris: vix autem *Sodales de Misericordia*, qui reos ad supplicium comitari  
solent, ad carceres pervenerant, cum  
illico Jacobus, & postea Bernardus ex-  
hibitam Christi in cruce pendentis im-  
ginem reverenter deoscularentur, ubi  
postea Prætor accedens Bernardum  
alloquebatur: "Domine, Sanctitas Ve-  
stra tibi vitæ gratiam fecit, non regre-  
tamen feras, quod tibi sanguine jus-  
tos ad supplicium comitari cogaris."  
Precare Deum pro ipsorum salute.  
His dictis Bernardus vinculis solutus  
eidem plastro unacum Jacobo fratre  
suo imponebatur, atque ambo comitari-  
tibus eos Sodalibus ad ursum pileatum,  
inde ad plateam sancti Apollinaris, ac  
per Navonæ forum ad sanctum Pantaleonem,  
campumque Floræ ducebatur, in via vero  
Jacobus a carnificibus prout sententia ferebat,  
candenti ferre cruce cruciabatur: porro dein fune-  
hoc comitatu ad carceres novos pre-  
ventum, inde vero Lucretia, & Beatrix  
descendentes in primo egressu Christi  
imaginem a Sodalibus allatam adora-  
bant, & postea pedites, solutis quidem ma-  
nibus, brachiis tamen ad corpus alligatis  
inter postremos Sodalium Ordines  
incedebant, & quidem Lucretia nonnullis  
lacrimis defluens, Beatrix vero in-  
pido



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

pido prorsus animo incedens ante quam-  
 libet Ecclesiam, quam pertransibat, ge-  
 nuflexa exclamabat: *Adoramus te Chri-  
 ste &c.* Has sequebatur plaustrum, in  
 quo miser Jacobus trino forcipis can-  
 dentis morfu excruciatu unacum Ber-  
 nardo fratre suo, funesti hujus spe-  
 ctaculi teste ducebatur: demum ad fo-  
 rum sancti Angeli prope pontem delati  
 prior Bernardus pegma conscendit, Ma-  
 tris, Fratris, ac Sororis mortem conspe-  
 cturus, qui tamen præ doloris vehe-  
 mentia bis deliquium patiebatur, die  
 autem duodecima Septembris a Soda-  
 libus sanctissimi Crucifixi juxta privile-  
 gium eis concessum plenæ libertati re-  
 stitutus est. Postmodum Lucretia tru-  
 cidati Francisci Conjux manibus retro  
 ligatis inter pias aspirationes, uberes-  
 que lacrimas super truncum feralem  
 inclinata, collum in ictum exporrigebat,  
 tum nonnisi trigesimum quintum æ-  
 tatis suæ annum emensa, quam seque-  
 batur Beatrix ejus filia, quæ Christi in  
 Cruce pendentis imaginem venerata  
 mox suscitabatur, an ipsius Mater inter  
 poenitentia signa mortem subiisset; cun-  
 ctis autem id affirmantibus semetipsam  
 piis juvabat ad Deum suspiriis, ac de-  
 mum vigesimo ætatis suæ anno securi  
 percussa obiit ad Ecclesiam sancti Pe-  
 tri in monte aureo deportata, ibidem-

K k 3

que



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

que sepulta. Tandem postrema promeritæ ultionis victima cadebat infelix Jacobus Cencius circiter viginti sex annorum juvenis, qui coram populo professus, quod Bernardum suum fratrem omnino innocentem contra fas veluti ejusdem secum delicti participem inculpasset, a Carnifice clava ferro armata tertio ictu ad tempora percussus cecidit, & postea pugione gutturi infixus in quatuor partes dissectus per duas horas ad ceterorum terrorem exponebatur, ejusque cadaver a Misericordiae Sodalibus ad ipsorum Ecclesiam delatum est.

§. XCVII.

*Insidiæ Henrico IV. Galliarum Regi  
struæ.*

*Thuan. Hist.*  
*l. 123.*  
*Daniel hist.*  
*de France*  
*l. 10. p. 258.*

Quantumvis in Francia Foederatorum Societas penitus dissipata esset, nihilominus præpostera fidem tuendi media, ad quæ hoc ipsum sœdus animum præbebat, adhucdum in quorundam animis vigere videbantur; non enim in aula deerant Procerum nonnulli, qui de Rege suo parum contenti ad suscitandam in Regno seditionem sat proclives erant; insuper cum certa de Henrico Ecclesiæ, ac summo Pontifici plene reconciliato fama nondum ad vicinas regiones pervasisset, ad reddendam tranquill-



Sæcul. XVI.  
A.C.1599.

quillitatem, nec non ad conservandam  
in Regno fidem Orthodoxam omnino  
necessarium fore arbitrabantur nonnul-  
li, ut Henricus, quem hæreticis pa-  
trocinaturum, atque Ecclesiam atroci-  
ter divexaturum sibi præfagiebant, e  
medio tolleretur: refert equidem Thua-  
nus, quod detestandum ejusmodi confi-  
lium Malavicino Pontificio apud Austriæ  
Archiducem Oratori infederit, cum au-  
tem Thuanus aliunde proscriptus, ac su-  
spectæ fidei Author sit, nec hoc facinus  
ullius scriptoris testimonio comproba-  
tum reddat, jure merito ejus relatio-  
nem ad cetera malevoli hujus ingenii  
commenta, accalumnias reiicimus: id  
tamen exploratum habetur, quod jam  
ante aliquot annos Carolus Ridicovius,  
qui nomine a Matre sua mutuato sese  
postea Avenarium dicebat, viginti octo  
circiter annos natus, ac Gandavi mo-  
nasticam vitam sub regula sancti Do-  
minici professus Henrico Regi vitam  
eripere statuerit, suumque propositum  
Corneliæ Matri suæ manifestarit. Hæc  
conscientiæ stimulis agitata rem Patri  
Hodumæ Jesuitæ aperiebat, ille vero  
Juvenem, qui tantum facinus auderet,  
conspiciendi desiderio incitatus, cum  
statura pusillum esse cerneret, nil aliud  
respondisse fertur, quam robustiore ho-  
mine opus esse. Interea Ridicovius,

K k 4

cum



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

cum Regem Ecclesiæ, ac summo Pontifici reconciliatum intellexisset, potentia ductus, Gandavum, inde vero Bruxellas reversus est, ubi tamen a Julio viro militari stimulatus denuo Gallias proficiscitur, lixæ habitum indutus, perinde ac si a Nicolao Basta Antverpiensi Præfecto ad Regem missus fuisset, ut de Bapalma urbe Gallis reddenda spem faceret. Sub idem tempus Petrus Argerius ejusdem familiae alumnus concepto Regis interficiendi proposito Samarobrigam Ambianorum venit, quo etiam adventans Ridicovius Vincentio regio urbis Prætori narrabat, quod Ridicovius (se enim Avenarium nominabat) ad interficiendum Regem ab Hispanis quidem sollicitas fuerit, ille tamen rem exequi detrectavit, de cetero autem Petrus Argerius, cujus formam exacte describebat, in Regis perniciem conjuravit, se vero tantum hoc, quod narrasset, ex ipsius Ridicovii utpote intimi sui amici ore percepisse agebat. Id cum Prætor ad Regem, qui tum Moncelli agebat, detulisset, quidam Italus Argerio, prout ipsum ementitus Avenarius delineabat, haud absimilis capiebatur, eo quod a Nicolao Basta se eo fine missum diceret, ut de Ardea urbe tradenda Regi spem faceret: inde ergo magis firmata conjuratio



jurationis suspicione Avenarius, sub <sup>Sæcul. XVI.</sup> quo nomine adhuc Ridicovius latebat, A.C. 1590. primo in libera custodia ad beati Martini coenobium, postea unacum Viardotto in Episcopi foro per viginti menses detinebatur, inde vero corrupto carceris ostiario die vigesima quarta Augusti anno millesimo quingentesimo nonagesimo octavo fuga elapsus est, priusquam sententia fuisset pronuntiata, vi cuius liber quidem dimissus, regno tamen excedere jubebatur, indicta etiam perduellionis poena, si denuo redire attentaret: attamen hoc anno ad oppidum sancti Dionysii reversus, cum contra Regis edictum Franciam intrasset, ac aliunde ex indiciis, nec non Petri Morelli Lingonensis Parochi testimonio de Rege interficiendo consilia agitasse convinceretur, membris confractis rotæ imponebatur, quod etiam supplicium subire cogebatur Argerius: Viardottus vero, qui carcere effracto cum eo aufugerat, omnibus bonis suis exutus in exilium detrusus est. Sub idem tempus alius quidam nomine Nicolaus Angelus, qui quondam in oppido Sancti Michaelis, quod ad Tullensem Diæcesin pertinet, Cappucinis Fratibus, quos laicos vocant, adscriptus erat, relicto Ordinis sui habitu a quodam Mediolanensi ejusdem instituti Alumno prode-

K k 5 batur,



Sæcul. XVI.

A. C. 1599.

batur, quod & ipse Regis vitæ infidi-  
 retur, quapropter cum culinæ famulum  
 simulans in Regis aulam sese infinuaret  
 atque interrogatus, cur e suo Mona-  
 sterio auffugisset, frivolam duntaxat  
 causam obtenderet, variis agitatae con-  
 spirationis indiciis, testibusque convic-  
 ctus rotæ supplicio affectus est. Cete-  
 rum dolendum sane, quod viros inter  
 ecclesiasticos nonnulli fuerint reperti  
 qui sub falso Religionis obtentu contra  
 divinæ legis præcepta Principum sue-  
 rum vitæ infidiari non erubuerint: por-  
 ro hoc ipsum Hugonottæ in Francia  
 Catholicis acerbe exprobrabant, nec  
 insolitum: hæretici enim omnes occa-  
 sione data ex aliorum, paucorumque  
 culpa propriam nequitiam honestare  
 semper intenti sunt, cum tamen ipsimet  
 crebris exemplis sæpius testati sint,  
 quod ipsa eorum secta, illiusque genius  
 nil nisi seditiones contra legitimos ipso-  
 rum Principes, nec non cædes illorum,  
 qui eorum erroribus obsistebant, inspi-  
 rarit; hoc enim æstro incitati Hugono-  
 tæ aperta violentia Regi suo coronam,  
 libertatem, vitamque eripere moliebantur:  
 insuper ut rebellionem suam, &  
 enormissima quævis scelera, inhumana-  
 namque suam sævitiam honestarent, Re-  
 ligionis obtentu utebantur, ac spurio  
 hoc Zelo suffulti Franciscum Guisæ Du-  
 cem



cem a Poltroto occidi jufferunt, & præ-  
 ter plurima alia ejusmodi crimina Am-  
 bosianam conjurationem conflarunt, in  
 hoc vel maxime culpandi, quod de  
 ejusmodi flagitiis palam, ac continuo  
 gloriantur, omnique tempore, & occa-  
 sione ad ejusmodi scelera perpetranda  
 parati inveniantur, quoties ad Sectæ  
 suæ conservationem detestanda ejusmo-  
 di media ipsis opportuna videntur, ex  
 adverso autem Catholici omnes dictan-  
 te Religionis sanctitate horrendos hosce  
 ausus semper, omnique tempore etiam  
 in illis detestantur, qui fervente primi  
 furoris impetu ad ejusmodi consilia ad-  
 ulterino Zelo sese abripi permisere.

§. XCVIII.

*Ordo Fratrum Discalceatorum Re-  
 demptionis Captivorum.*

Jam equidem anno Christi millesimo  
 centesimo nonagesimo octavo Inno-  
 centius III. summus Pontifex Fratribus  
 Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis  
 Captivorum Regulam primitivam, ip-  
 sumque Ordinem edito bino diplomate  
 confirmabat: postquam vero temporum  
 injuria, ac prævalente humana imbe-  
 cillitate hi Religiosi a primo hujus insti-  
 tuti fervore desciverant, nec non Re-  
 gulam quoad plura capita immutari,  
 atque a Clemente IV. anno salutis no-  
 stræ

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1599.

Cias. tom. 4.  
 pag. 266.  
 Philipp. a  
 SS. Trinit.  
 Theol. Car-  
 mel. Bullar.  
 tom. 1. § 3.  
 Constit. 1.  
 § 65.  
 Spond. hoc  
 ann. n. 11.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

fræ millesimo ducentesimo sexagesimo septimo mitigari petierant, eorum nonnulli arctioris vitæ studio accensi priusnam a præfato Pontifice Innocentio institutam disciplinam in omni rigore servare cœperunt, ac quosdam ejusdem Ordinis Conventus ad renovandam hanc vivendi normam reducere, simulque suum animi propositum Clement. VIII. summo Pontifici declarantes horum Reformatorem Congregationem in Hispaniarum Regnis sub uno capite erigi efflagitarunt: quapropter Papa pius eorum votis annuens, hoc anno die vigesima Augusti novum hoc institutum auctoritate Apostolica confirmabat, concessisque Ordinum mendicantium privilegiis Ministros, nec non Procuratorem Generalem eligendi facultatem impertiebatur, suo tamen in Hispania Nuntio Apostolico injungens, ut aliquem pietate, prudentia, ac doctrinam insignem ex Fratribus Carmelitis Discalceatis seligeret, qui Visitatoris munere fungeretur, atque in omnium, qui hoc vitæ genus amplexi fuerint, vitam, moresque inquirens idoneos ad solemnem votorum sponsonem reciperet, ceteros vero dimitteret, nec non accedente judicio Nuntii Pontificii, aliorumque priorum virorum ex Carmelitarum Discalceatorum Ordine novas Constitutio-



Sæcul. XVI.  
A C. 1599.

nes eis præscriberet: unde evenit, quod  
 juxta hanc Pontificis dispositionem,  
 quam postea Gregorius XV. anno mille-  
 simo sexcentesimo vigesimo secundo die  
 decima tertia innovabat, Reverendus  
 Pater Elias a sancto Martino Theresia-  
 næ Reformationis Præpositus Genera-  
 lis in Visitatorem assumptus, multo-  
 que tempore cum Fratribus discalcea-  
 tis sanctissimæ Trinitatis conversatus  
 ipsorum regimini, ac moderationi ope-  
 ram navaret, illisque eadem ferme, quæ  
 Carmelitis Excalceatis propria sunt,  
 statuta præscriberet: ipsemet quoque  
 Paulus V. Pontifex Maximus anno mil-  
 lesimo sexcentesimo decimo præceperat,  
 ut deinceps hi Fratres Trinitarii idem  
 votum, quod Discalceatis Italicæ Con-  
 gregationis Carmelitis solemne est, e-  
 mittant, spondentes, quod nec per se,  
 nec per alios ullum officium in præfa-  
 tis constitutionibus prohibitum tam in-  
 tra, quam extra Congregationem am-  
 bire velint: anno autem millesimo sex-  
 centesimo trigesimo quinto die trigesi-  
 ma prima Augusti Urbanus VIII. Papa  
 petentibus Hieronymo Ministro, aliis-  
 que ejusdem Instituti Superioribus ex  
 ipso Carmelitarum Excalceatorum Or-  
 dine Venerabilem Patrem Simonem  
 Paulum a Jesu Maria nominabat, ut  
 Romanum Gallicæ nationis Conventum  
 horum



Sæcul. XVI. horum Fratrum Discalceatorum Sancti-  
 A. C. 1599. simæ Trinitatis visitaret. Idem quoque  
 Pontifex anno Incarnationis Dominice  
 millesimo sexcentesimo trigesimo sexto  
 eidem concesserat, ut supremum hujus  
 Congregationis Generalem eligere pos-  
 sent, cui tres Provinciæ in Hispania  
 totidemque in Polonia, Germania, &  
 Italia subjiciuntur: illa vero in Provin-  
 cia sita Parisiensis Generalis jurisdic-  
 tioni subest.

## §. XCIX.

*Guidonis Pepuli Cardinalis obitus.*

*Ciacon tom.*  
*4. p. 200.*  
*Ferd. Ugell.*  
*in addit. ad*  
*Ciac.*

**R**egnante Clemente VIII. summo Pon-  
 tifice ex sacro Purpuratorum Colle-  
 gio præter Andream Bathorium, de  
 cujus infausta morte jam supra mentio-  
 nem fecimus, nonnisi tres hoc anno vi-  
 tam cum Purpura exuerunt. Hos in-  
 ter primus erat Guido patria Bononiens-  
 is ex pervetusta Pepulorum Comitum  
 familia ortus, qui anno Domini mille-  
 simo quingentesimo sexagesimo die ve-  
 gesima sexta Aprilis natus pietatem cum  
 literis tam liberaliter hauserat, ut dein-  
 cum sacram, profanamque jurispru-  
 dentiam Senis edoctus fuisset, a Grego-  
 rio XIII. summo Pontifice utriusque,  
 ut vocant, Signaturæ Referendarius,  
 nec non Protonotarius Apostolicus, ac  
 demum Apostolicæ Cameræ Clericus  
 renun-



Sæcul.XVI.  
A.C. 1599.

renuntiaretur, in quibus officiis tanta elucebat prudentia, ut a Sixto V. Cardinalis Diaconus Titulo SS. Cosmæ, & Damiani, & postea a Clemente VIII. Presbyter Cardinalis eligeretur, ad titulum sancti Petri in monte aureo vocatus. Eminuit præprimis animi magnitudine, Religione in Deum, obsequio in amicos, in omnes benignitate, tantaque vitæ modestia, morum honestate, ac castimonia conspicuum sese reddidit, ut dubium relinqueret, an non majori splendore Romanam honestarit purpuram, quam ab ea decoratus fuerit. Interfuit comitiis, in quibus Urbanus VII. Gregorius XIV. Innocentius IX. & Clemens VIII. ad Pontificii honoris apicem euecti sunt. Vixit nonnisi triginta octo annos, novemque Menses, nimis præmatura morte Romæ ad sanctam Agatham prope Quirinalem montem die decima quinta Januarii sublatus, cui in grati animi memoriam ejus Domestici in Ecclesia sancti Blasii, ubi sepultus est, honorificum monumentum posuere.

§. C.

*Sylvii Sabelli Cardinalis mors.*

Alter erat Sylvius Patre Camillo Sabello Aricizæ Principe, & Matre Isabella Ursina anno a Virginis partu millesimo quingentesimo quinquagesimo Romæ

Ciac. l. c.  
p. 287.  
Maphæ in  
vit. Greg.  
XIII.



Sæcul. XVI.

A.C. 1599.

Romæ natus, qui utriusque Juris Doctor Gregorio XIII. a cubiculis primæ Canonatum in Basilica Divi Petri, ac postea anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo tertio Rossanenæ Archiepiscopatum obtinuit, cui quinque annis præfuit, miraque in rebus gerendis dexteritate insignis, primò Neapolim, ac demum in Gallias Nuntiarius Apostolicus decernebatur: sedente autem Clemente VIII. Papa anno millesimo quingentesimo nonagesimo quarto Patriarcha Constantinopolitanus, & Avenionensis Pro-Legatus, ac demum Cardinalis Presbyter titulo sanctæ Mariæ in via nominabatur, qua dignitate conspicuus Umbriæ, ac Perusæ Legationem cum summæ integritatis laude obibat, inde vero Ariciam profectus hoc anno die vigesima prima Januarii subitanea morte non sine omnium luctu vivis ereptus est. Postea Cadaver ejus Aricia Romam translatum ad Aram Cœli terræ mandabatur.

## §. CI.

*Henrici Cajetani Cardinalis extremi.**Ugell. Ital.**Sacra Ciac.**pag. 152.**Baron tom.**2. Annal.**Thu. l. 98.**Et 99.*

Postremus inter Cardinales, qui hoc anno decesserunt, erat Henricus Cajetanus Sermonettæ exiguo ditiois ecclesiasticæ oppido Parentibus Bonifacio Sermonettano Duce, & Catharina Pia



Pia anno Christi millesimo quingentesimo <sup>Sæcul. XVI.</sup> quinquagesimo die sexta Augusti natus. A. C. 1599. Hic Romæ humanioribus literis, ac Perusiæ Jurisprudencia excultus, nec non Doctoratus honoribus insignis Romam revertebatur, ubi a Gregorio XIII. summo Pontifice nonnisi vigesimum primum ætatis suæ annum agens pinqui Abbatia ditatus fuit, dein vero varia Reipublicæ munia per quindecim omnino annos cum summa laude obiit, unde meritorum suffragio præmium deposcente a Sixto V. Patriarcha Alexandrinus, Presbyter Cardinalis sanctæ Pudentianæ, ac non multo post Bononiæ Legatus renuntiabatur: dum vero Franciæ Regnum extremo amittendæ Religionis discrimini expositum lanquebat, idem summus Pontifex Cajetanum eo decernebat, ut labentis fidei rebus, nec non futuræ Regis electioni prospiceret, ubi etiam die vigesima Januarii anno post Christum natum millesimo quingentesimo nonagesimo Parisios delatus magnis honoribus excipiebatur, festivaque oratione a Santonio celebri Caussidico honorabatur, quo etiam tempore, dum Pontificis diploma in Senatu recitabatur, ipse gravem de Pontificis auctoritate, atque egregia ejus erga Regnum, Senatūque voluntate sermonem habuit: cum autem ex adver-

*Hist. Eccles. Tom. LII.*

L1 fo



Sæcul. XVI.  
A. C. 1599

so Senatus Regius, qui Cæsarodunus erat, contra hujus Legati adventum ac potestatem reclamaret, ac idem Cardinalis Cajetanus jurisdictionem suam ab Episcopis Henrico Borbono addictis præpediri cerneret, relicta Urbe Dionysiopolim secessit, Maduanum Ducem a suis desertum solaturus: præterea Fœderatis militibus quinquaginta aureorum millia erogans, Parisienses cives gravi obsidione, & inedia per confectos vendita etiam propria suppellectili sua liberaliter reficiebat, paulo post tamen literas a summo Pontifice, qui tum Fœderatis non adeo favebat, acceperat, quibus graviter objurgabatur, quod factiosus in Urbe sese adjunxisset, nec potius, uti jussus erat, cum Carolo Vindocino, & Philippo Lenoncurtio Cardinalibus Regi addictis sua communicasset consilia: unde exeunte Mense Aprili de induciis cum Henrico IV. agere intentus, cum ab irato Rege nihil impetrare possset, post Sixti V. & Urbani VII. obitum e Gallica Legatione Romam revertebatur, postmodum vero a Clemente VIII. ad fœdus inter Cæsarem, & Poloniæ Regem contra Turcas decretus Varsoviam anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo septimo die decima Februarii pervenit: porro inde Romam reversus, ac



podagræ doloribus confectus tandem die decima tertia Decembris obiit, sepultusque fuit in Ecclesia sanctæ Pudentianæ, quam unacum Sacello a fundamentis instaurari curaverat.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

§. CII.

*Varie Clementis VIII. Constitutiones hoc anno editæ.*

Præter diversas Clementis VIII. Papæ constitutiones, de quibus jam sparsim nata occasione egimus, plures adhuc hoc anno idem Pontifex edidit, in quarum prima die nona Februarii præceperat, ut Monachi Congregationis Fulienfis ex Ordine Cisterciensium sancti Benedicti in supplicationibus, aliisque actibus publicis omnibus Fratibus Mendicantibus præferantur: cum autem sub idem tempus quidam Archiepiscopi Carmelitis Oleum sacrum tradere recusarent, mox Pontifex diplomate die vigesima quarta Martii edito eisdem injunxit, ut præfatum sacrum Oleum, quandocunque illud Fratres Carmelitæ pro administranda sui Ordinis Regularibus infirmis extrema unctiōne petierint, *prompte, ac liberaliter* tradant. Alio diplomate die vigesima nona Maji pro decidendis causis in Ferrariensi civitate quoddam novum erexit tribunal, illudque variis pri-

*Bullar. tom. 3. p. 80.*  
*Const. 56.*  
*Theol. Carm. q. 30.*  
*art. 3.*  
*Philipp. & SS. Trinit.*

L 1 2

vilegiis



Sæcul. XVI.  
A. C. 1599.

vilegiis conspicuum reddidit: infu-  
 celebrem edidit Constitutionem, quæ  
 per varia decreta cujuscunque Institutum  
 Regularis emendationem urgebat, et  
 in quolibet Conventu sacri Codicis  
 nec non casuum conscientiarum lectionem  
 haberi præcipiebat, certumque Religio-  
 rum numerum statuebat: præterea in me-  
 dio dormitorii lucernam ardentem no-  
 ctu servari mandavit, simulque indolenti-  
 vocis activæ, & passivæ privatione sum-  
 mo Pontifici reservata prohibuit, ne Re-  
 gulares absque sui Provincialis licentia  
 scripto tenus data Romam pergant: pe-  
 ro hisce decretis oppido salutaribus  
 adhuc superaddidit pro Ordine Ser-  
 vorum Beatæ Virginis. Adhæc cum non  
 ita pridem Congregatio Fratrum Discal-  
 ceatorum Ordinis sancti Augustini Ro-  
 mæ auctoritate Apostolica fuisset in-  
 stituta, idem summus Pontifex die quin-  
 ta Novembris receptioni, & Professio-  
 ni Novitiorum nova constitutione præ-  
 spexit, jam antea vero alio diplomate,  
 quod incipit: *de Religiosorum &c.* die de-  
 cima Julii dictum Ordinem reformatum  
 regendi, ac gubernandi, nec non ejus-  
 dem statuta, & Constitutiones exami-  
 nandi, ac reformandi facultatem Patri  
 Petro a Matre Dei ex Ordine Carmeli-  
 tarum discalceatorum, Apostolico ejus-  
 dem summi Pontificis Concionato-  
 con-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

concessit : præterea ad preces Patris Procuratoris Generalis ex Ordine Fratrum Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo Clemens VIII. novo decreto die vigesima tertia promulgato declarabat, quod nec præfati Ordinis Fratres, nec quicumque alii Regulares uti valeant Bullæ, ut vocant, Cruciatæ privilegio, quo Confessarium præter eos, qui a suis respectivè Prælati designati sunt, pro absolutione a casibus Ordinario reservatis eligendi facultas concedebatur. Denique postrema Constitutione die decima octava Decembris edita declarabatur jurisdictio, ac facultas sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Camerarii.

§. CIII.

*Alberti Archiducis, & Isabellæ Conjugis suæ reditus in Belgium.*

Postquam Margarita Austriaca Caroli Archiducis Filia cum Philippo III. Hispaniarum Rege, nec non Albertus Austriæ Archidux cum Isabella Philippi II. Filia conjugium anno superiori per Procuratores vicarios Ferrariæ contraxerant, ac solemniter Valentia in Hispania confirmaverant, ratumque habuerant, Albertus cum sua Conjugè discessum in Belgium meditabatur, quapropter die octava Maji e portu cum

*Guicciard.  
de bello Belgico l. 12.  
Spond hoc  
anno n. 7.*

L 1 3

qua-



Sæcul XVI.  
A.C. 1599.

*Thuan. l.*

122.

*Harræus de  
annal. Belg.*

quadraginta duarum triremium classis solvens secundis primo velis navigationem prosequabatur, magis tamen intentum proventus tam adversam experiebatur tempestatem, ut per integros septem dies cum fluctibus colluctatus neque Barcinonam attingeret, ubi paucis diebus commoratus postea die septima Junii Genuam, ac die quinta Julii Mediolanum pervenit, ubique summis honoribus, publicisque lætitiæ signis exceptus, nec non a Francisco Dietrichsteinio Cardinali Pontificis Legato, atque ab Angelo Badoaro Reipublicæ Venetæ Oratore honorifice salutatus: inde die vigesima secunda Julii profectus continuato per Helvetiam itinere, dein per Alsatiam in Lotharingiam progressus, ac demum ad Luxemburgensis Provinciæ fines deductus Theodonis-Villam Urbem Belgio confinem ingrediebatur: cum vero Albertus, & Isabella Archiduces Brabantiaë finibus appropinquarent, eos Nivellæ Mathias Hovius Mechliniensis Archiepiscopus unacum Antverpiensi, Villeriensi, & Grimbergenfi Episcopis, aliisque Baronibus, ac Viris dignitate, auctoritateque conspicuis, quos Provinciæ Ordines tanquam Legatos præmiserant, excepit, Philippo Mosio nomine omnium perorante: postmodum Archiduces Hal-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1599.

lam ad Beatæ Virginis ædes fama religionis percelebres concessere, pro itinere feliciter confecto debitas perfoluturi grates. Percepto eorum adventu mox Andreas Cardinalis Austriacus, qui hucusque illorum nomine Belgii res pro summo Imperio procurabat, ab hoc onere liberari rogans, hujus Provinciæ administratione sese abdicavit, ac nonnisi exiguo Aulicorum comitatu stipatus, privatique hominis personam præferens postero mane per Gallias iter fecit, atque Aureliæ post repetitum, arcanumque colloquium de pace ineunda cum Henrico habitum, iter suum prosequebatur, mense Octobri ad medium vergente Mersburgum Constantiensium Episcoporum sedem reversus. Porro die quinta Septembris Archiduces Bruxellas ingressi primas eo curas intendebant, ut mutuo fidelitatis jure iamento subjectas Provincias sibi devincerent: attamen præter tumultus a militibus ob stipendia nondum soluta excitados insuper Brabantia Ordines sua demore privilegia jactitantes obsequii Sacramentum novis Principibus dicere renuebant, nisi hi prius externos ab urbium, arciumque Præfectura arcerent: nihilominus ea tum erat rerum conditio, ut Archiduces horum postulatis plene satisfacere haud valerent; ne ta-





**Sæcul. XVI.** men illos minus contentos dimittere  
**A.C. 1599.** ex Belgica Nobilitate præcipuos  
 publicas, ac magis eximias evexerunt  
 dignitates, & quidem Barlæmontium  
 Comitem, quem jam antea ad referen-  
 das Pontifici grates pro transmissio-  
 pileo, ac rosa aurea Romam ablega-  
 bant, Arthesiæ Governatorem, & Tho-  
 rembergium Comitem maris Præ-  
 ctum creabant; Crojus vero Hauræ  
 Marchio ærario præficiebatur, plures  
 que alii Nobiles variis officiis, ac  
 que aurei velleris honorabantur. Sub  
 idem tempus Ifenburgicus, & Mand-  
 scheidus Comites unacum Nutzelio  
 Rudolpho Cæsare ablegati in Belgium  
 venerant, atque a Fæderatis Protestanti-  
 bus publicæ securitatis literas eo sine  
 expetierant, ut cum eis aut de pace,  
 aut de induciis agere possent: verum  
 hi nonnisi injurioso responso repulsi  
 infecta ad Cæsarem reverti cogebantur,  
 interim Archiduces Lovanium, ut tam  
 ab ipsis, quam ab Ordinibus solemne  
 diceretur obsequium, die vigesima qua-  
 ta Novembris petebant: quod & altera  
 die præstitum est, perorante Jacobo  
 Bajo Theologo, postridie autem ambo  
 Principes ibidem, ut celeberrimæ Aca-  
 demię Alumnos ad literarum studia sua  
 præsentia animarent, publica iustra-  
 bant gymnasia, ac tum Richardoti Præ-  
 fectis



Sæcul. XVI.  
A C 1599.

fidis Filium in literaria palæstra decer-  
tantem benignis excipiebant auribus, in-  
super ad Justi Lipsii celeberrimi viri Scho-  
lam inopinato accedebant, eumque e-  
re nata aliquid ex tempore dicere jube-  
bant; unde ipse mox insigni oratione  
Plinii Panegyrii Trajano dictam inter-  
pretabatur, & admodum apposite illud  
illustre effatum Rudolphi I. Cæsaris im-  
miscebat, dicere soliti: *Per Deum! fini-  
te homines venire ad me; non enim ideo Im-  
perator sum, ut in arcula includar, sed ut  
tenuioris etiam fortunæ hominibus opituler.*  
Demum Albertus unacum sua conjuge  
ceteras nobiliores Belgii urbes perlu-  
strans, Proceres, populosque sua pru-  
dentia, morumque comitate tam arcte  
sibi devinciebat, ut dubium relinque-  
ret, an cum majori voluptate tam in-  
genuis populis imperaret, vel an hi po-  
puli cum alacriori obsequio tam  
benigno Principi parerent.

